DE AGRIS PUBLICIS IMPERATORIISQUE

AB AUGUSTI TEMPORE

USQUE AD FINEM IMPERII ROMANI

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

Ch. LÉCRIVAIN

OLIM SCOLAE NORMALIS ALUMNUS

PARISIIS

APUD ERNESTUM THORIN EDITOREM

7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXXVII

DE

AGRIS PUBLICIS IMPERATORIISQUE

AB AUGUSTI TEMPORE

USQUE AD FINEM IMPERII ROMANI

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

DE

AGRIS PUBLICIS IMPERATORIISQUE

AB AUGUSTI TEMPORE

USQUE AD FINEM IMPERII ROMANI

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

Ch. LÉCRIVAIN

OLIM SCOLAE NORMALIS ALUMNUS

PARISIIS

APUD ERNESTUM THORIN EDITOREM

7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXXVII

PROOEMIUM

Quae fuerit *agri publici* (1) conditio ab imperii romani principiis usque ad finem, mihi propius inspicere placet : tum quia res obscurior peculiari commentatione adhuc indiget, tum quod ad totam rem agrariam melius cognoscendam utilis admodum esse videtur. Quamvis enim hi fundi, in hac aetate multo minoris sint momenti quam in libera re publica ante Augustum, tamen multa inde, praesertim post Diocletianum, ad privatorum usum et consuetudinem, transiisse non negaveris.

Duas autem aetates distinguemus, alteram ante Diocletianum in qua de origine, incrementisque et administratione nostrorum fundorum tractabimus, alteram post Diocletianum in qua materies amplior, ex codicibus Theodosii et Justiniani desumpta, in promptu erit.

(1) *Agrum publicum* dico agros populi fiscique et patrimonii.

DE

AGRIS PUBLICIS IMPERATORIISQUE

AB AUGUSTI TEMPORE

USQUE AD FINEM IMPERII ROMANI

PARS PRIMA

De agris publicis fiscalibus rationisque privatae et patrimonii ab Augusti aetate usque ad Diocletianum.

CAPUT PRIMUM.

DE AGRORUM PUBLICORUM DIVISIONE FACTA INTER AERARIUM POPULI ROMANI ET CAESARIS FISCUM.

Divisis inter Augustum senatumque provinciis, agri publici reliquiae partim aerario populi Romani, partim Caesaris fisco attributae sunt. In his enim regionibus, quas Augustus obtinuit, sive potestate proconsulari, ut Britanniam aliasque eiusdem gene-

ris provincias, sive privata, ut Ægyptum, fieri non poterat quin praedia publica, aeque ac ceteri reditus, fisco attribuerentur.

Italiae autem et senatoriae cuiusque provinciae fundos publicos aerario servatos esse putaverim usque ad Traiani tempora, quatenus ex agrimensorum auctoritate suspicari licet, qui saepius de locis populi Romani agunt (1).

Habemus igitur duo agrorum genera, publica et fiscalia; sed revera, ex initio iam principatus, imperatores locis populi Romani aeque ac fiscalibus praefuisse non dubium est, quibus nihil antiquius fuit quam ut totius rei agrariae, assignationum coloniarumque sibi curam seponerent. Augustum enim recensuisse et a privatis recuperavisse quidquid esset populi Romani, non Romae tantum, sed et in orbe universo compertum habemus, ita ut ex hac ordinatione anni 727 u. c. = 27 a. I. C, omnia privilegia, beneficia, vectigalia, formae denique omnes ad usum possessionemque fundorum publicorum pertinentes, etiam post Septimium Severum penderent (2).

(1) Gromatici (ed. Lachmann). Hygin., p. 114, 16 : « Nam et regione Reatina sunt loca p. R. » — Sicul. 137, 1, 4 : « Sunt populi Romani quorum vectigal ad ærarium pertinet » = Hygin., 122, 16 = Tacit., *Ann.*, XIV, 18.

(2) Hoc probavit Mommsenius, *S. R.*, II, 2, 1, N[4]. Cf. Tacit., *Ann.*, III, 28. Dio. Cass., LIII, 2. Sueton., *Aug.*, 32 : « Loca in Urbe publica iuris ambigui possessoribus adiudicavit = Orelli, 4031 (*C. I. L.*, X, 8038) : (Vespasiani rescriptum ad Vanacinos) : ... beneficia tributa vobis ab divo Augusto post septimum consulatum, quae in tempore Galbae retinuistis confirmo.— Orelli, 3118 (Domitiani sententia inter

Eorum vero beneficiorum, quae a novo quoque principe, saltem usque ad Hadrianum, edicto confirmantur (1), maximam partem ad fundos publicos pertinuisse certum est, sive de remissis vectigalibus et solariis, sive de concessis aut retractis subsicivis aliisque terrae portionibus agitur (2). Legimus Claudium iuri suo agros et saltus vindicavisse de quorum possessione contenderent Comenses cum Bergaleis et rem procuratoribus suis disceptandam commisisse (3). Ab eodem principe missum esse disceptatorem agrorum Cyrenensium comperimus quos populo Romano cum regno a rege Apione quondam relictos proximus quisque possessor invasisset (4). A Vespasiano et Tito audimus agros Cyrenenses iterum restitutos esse et magnam fisco pecuniam provenisse ex venditis totius Italiae subscicivis, sed possessorum clamoribus legationibusque ad id induc-

Falerienses et Firmanos) : ... divi Augusti erga quartanos suos principis epistula qua admonuit eos ut omnia subsiciva sua colligerent et venderent. — Orelli, 1460 ; *C. I. L.*, II, 1423 ; VI, 266 (inter annos 226 et 244) : ex eo tempore quo Augustus rempublicam obtinere coepit, usque in hodiernum nunquam haec loca pensiones pensitasse. »

(1) Sueton., *Tib.*, 8 ; Dio. Cass., LXVII, 2 ; Plin. ad Traian., 58. — Cf. Momm., *S. R.*, II, 2, 1070, 1071.

(2) Orelli, 3118; *C. I. L.*, VI, 266 (ubi incertum est utrum de vectigali an solario agatur). — Frontin., p. 54, 10 : « Aliqua subsiciva in Italia (Titus) recollegit » p. 54, 3 : « Pecuniam etiam quarundam coloniarum imp. Vespasianus exegit, quae non haberent subsiciva concessa. » *C. I. L.*, II, 1423 (ubi de vectigalibus ad fundos publicos pertinentibus fortasse sermo est).

(3) *C. I. L.*, V, 5050.

(4) Tacit., *Ann.*, XIV, 18.

tum fuisse Domitianum, quibus reliqua omnia subsiciva in perpetuum concederet (1).

Praedia igitur publica, quamvis eorum reditus in aerarium adhuc flueret, non populi romani, non senatus, sed iam ab initio principatus, imperatorum arbitrio administrata esse constat.

Imo, ex Hadriani tempore, ne locorum publicorum nomen quidem superest; fundi omnes unico nomine appellantur, nempe *loca fiscalia*, *fundi fiscales* (2), ita ut in iurisconsultorum libris, praesertim in titulo Digestorum *de iure fisci* (3) utrumque genus praediorum publicorum fiscaliumque confundatur.

Sed quam multi fuerint, in quibus provinciis, fere ignoramus. In Italia enim, post Domitianum, nihil prope ex agri publici reliquiis nobis notum est nisi pascua quaedam et saltus, praesertim in Piceno et in Sabinis (4). Populo romano, si non re, saltem nomine, adhuc in tertio seculo attribuuntur incognita illa *vectigalia populi Romani quae sunt citra Padum*

(1) Hygin., 122, 20 : « In provincia Cyrenensium lapides inscripti nomine divi Vespasiani sub clausula tali : *occupati a privatis fines : P. R.* restituit. — Frontin., p. 54, 8-12 : « Sed postquam (Vespasianus) legationum miseratione commotus est, quia quassabatur universus Italiae possessor, intermisit... praestantissimus postea Domitianus ad hoc beneficium procurrit et uno edicto totius Italiae metum liberavit. »

(2) Dig., XLIX, 14, 3 § 9-10; XLV, § 13.

(3) Dig., XLIX, 14.

(4) Frontin., p. 21 : « Silvas quas ad populum romanum multis locis pertinere ex veteribus instrumentis cognoscimus, ut ex proximo in Sabinis. » Hygin., 114, 6 : « Et regione Reatina sunt loca p. R. » Sicul., 137, 2 : « In Piceno et in regione Reatina in quibus regionibus montes Romani appellantur. »

et *vectigalia populi Romani gallicana*, ex titulis epigraphicis nota (1). Apparet in multis tegulis formula « *ex praediis populi Romani* » unde forsitan coniicere possis hos fundos in Italia plures fuisse quam credideris.

In provinciis autem habemus agri publici reliquias in Hispania, in Cyrenaica, in Iudaea, in Dalmatia (2).

Inter agros fiscales habemus fundos quosdam in Sabinis ex titulo Saepinensi notos, ubi de gregibus fiscalibus agitur (3), et potissimum agrum fiscalem Ægypti de quo infra tractabimus. Tam frequens est praediorum fiscalium mentio in Digestis, tam multae de eorum administratione regulae ut fisco iam partem haud exiguam soli provincialis cessisse facile coniicias.

Plura enim incrementa fundis fiscalibus quam locis publicis suppetere facile constat. Videamus ex quibus fontibus utrique augeri soleant.

I *Bona vacantia et caduca*, quae nemo nescit in quantam molem, post leges Iuliam et Papiam Poppaeam de caducis, accreverint, rarius fundis fiscalibus adiiciebantur, quippe quae, vix adiudicata fisco, plerumque venderentur et in pecuniam redigerentur (4).

(1) *C. I. L.*, III, 249 : « L. Didius Marinus v. e... proc. vectigalior(um) popul(i) R(omani) quae sunt citra Padum. — Wilm., 1281 : « Q. Cosconio... proc. Augg. ad vectig(alia) p(opuli) R(omani) Galli(cana). — Quae Hirschsfeldius eadem esse ac antiquum agrum Gallicum putat. »

(2) Plin., *H. N.*, XII, 3, 123 ; XIX, 3, 39.

(3) *C. I. L.*, IX, 2438.

(4) Hoc probatur in titulo *de iure fisci*. Cf. Tacit., *Ann.*, VI, 7 :

Fieri tamen potuit ut aliqua pars integro statu inter fundos fiscales vel publicos collocaretur. Scimus autem haec bona in Italia ad aerarium primum, deinde a Marci Aurelii tempore, ad fiscum devoluta esse (1) per curam praefectorum aerarii, quibus ab Hadriano adiuncti sunt procuratores hereditatium (2). Monstravit Hirchsfeldius (3) quantam inde ab hoc tempore auctoritatem in Italia procuratores illi hereditatium consecuti essent et alibi demonstravi (4) quemadmodum ex difficillimis istis bonorum caducorum vacantiumque quaestionibus, quae nullam partem iuris non tangerent, natum esset *ius fisci*, quantamque imperatores procuratoribus suis in decidendis litibus auctoritatem dedissent, magno cum detrimento ordinariorum praesidum, sed cum magna imperatoriae potestatis utilitate. Hic tamen illius jurisdictionis progressum iterum describere nobis non placet, quippe quibus praedia, semel post decisas lites fisco attributa, considerare propositum sit.

In provinciis autem senatoriis haec bona primum

« Tot damnatis bonisque eorum *divenditis.* » *C. I. L.*, X, 8038, ubi de bonis per fiscum venditis agitur.

(1) Ad aerarium pertinent usque ad Hadrianum in Dig., XLIX, 14, 15 § 3 : « Senatus Hadriani temporibus censuit, quum quis se ad aerarium detulerit... » Plin., *Ep.*, II, 16 ; Plin., *Paneg.*, c. 34, 36. — Ad fiscum autem ab aetate Marci Aurelii in Dig., XXVIII, 4, 3 ; XXXIV, 9, 16 § 2.

(2) Dig., XLIX, 14, 32 ; II, 15, 8 § 19. — C. Iust., VII, 54, 1.

(3) *Untersuchungen*, p. 1-48.

(4) Cf. Commentationem nostram inscriptam : *La juridiction fiscale d'Auguste à Dioclétien* (*Mélanges d'archéologie et d'histoire, publiés par l'Ecole française de Rome*, t. VI).

ad aerarium, postea vero, a Marco Aurelio, ad fiscum pertinere comperimus, administrante primum proconsule, deinde procuratore hereditatium; in provinciis imperatoriis, fisco adiudicari, curante primum legato imperatoris, deinde simul procuratore provinciali et procuratore hereditatium (1).

II. Bona damnatorum, bona eorum qui sibi ob aliquod admissum flagitium mortem conscivissent (2), bona eorum qui, ex qualibet ratione, praesertim ex vectigalium locatione debitores fisci remanerent, deserta praedia ob cessationem collationum vel reliqua tributorum (3) distracta, omnia haec bona, quemadmodum inter aerarium fiscumque vel etiam patrimonium principis, quod videbimus, dividerentur, parum constat : ea tamen plerumque fisco attributa, sed divendita et in pecuniam redacta (4) arbitror. Interdum etiam bona municipalia ab imperatoribus confiscata sunt; sic ea Taciti verba de Galba (5) ad praediorum quorumdam confiscationem pertinere putaverim : « Reditus Lugdunensium occasione irae in fiscum verterat. »

(1) Traian. ad Plin., 84 : « Nicaensibus qui intestatorum civium suorum concessam vindicationem bonorum a divo Augusto adfirmant, debebis vacare... adhibitis Virdio Gemellino et Epimacho, liberto meo, procuratoribus. »

(2) Paul., *Sent.*, V, 12, 1. Dig., XLIX, 14, 45 § 2.

(3) *Frag. Vatic.*, § 22 : « Si deserta praedia, ob cessationem collationum vel reliqua tributorum ex permissu praesidis distracta... » (Textu ab Huschkio restituto utor.)

(4) Paul., *Sent.*, V, 12, 1. Gai., *Inst.*, IV, 146. *Frag. Vatic.*, § 21. C. Iust., X, 3, 1. Dig., XXXIX, 4, 9 § 8; XLIX, 14, 5 pr.

(5) Tacit., *Hist.*, I, 65.

III. Ex pecuniis publicis, quae provenirent ex reditibus provinciarum principis, ne otiosae iacerent, saepe comparata fuisse praedia legimus (1).

IV. In novis provinciis, ut Pannonia, Dacia, utraque Germania, quae praedia fisco seposita sint, parum liquet. Agri enim plerique sive provincialibus relicti sunt, tributo obnoxii, sive assignati veteranis in coloniarum forma; pascua tamen, ut olim in Italia, in provinciis quibusdam fisco reservata esse cum metallis et lapidicinis, nec non et subsiciva certum est (2).

(1) Plin. ad Traian., 54 : « Pecuniae publicae... exactae sunt et exiguntur; quae vereor ne otiosae iaceant. Nam et praediorum comparandorum aut nulla aut rarissima occasio est. »

(2) Habemus pascua in Dacia. *C. I. L.*, III, 1363 : « Conductor pascui et salinarum. »

CAPUT SECUNDUM.

DE NOVO PATRIMONIO. EIUSQUE FONTIBUS.

Nunc veniamus ad aliud praediorum genus, ad ea nempe quae ad *patrimonium principis* pertinent.

I

Necesse enim fuerat, iam ab initio principatus, ut a fisco pecuniae illae distinguerentur, quae principi, privato, ut ita dicam viro, ex privatis hereditatibus vel aliis rationibus provenirent. Iam ita factum esse imperante Augusto comperimus cuius propriae fortunae saepius enumerantur. Quod enim ait apud Suetonium (1) ad heredes suos perventurum, vere patrimonium erat, neque dubium est quin de hoc patrimonio monumentum Ancyranum loquatur his

(1) Aug., 101 : « Excusata rei familiaris mediocritate nec plus perventurum ad heredes suos quam milies et quingenties professus, quamvis viginti proximis annis quater decies milies ex testamentis amicorum percepisset, quod paene omne cum duobus paternis patrimoniis ceterisque hereditatibus in rempublicam absumisset. »

verbis « ex patrimonio meo, » « pecunia mea, » « frumento privatim coempto (1); » quanquam fieri potuit ut Augustus pecunias quae hinc e fisco, illinc e privato patrimonio fluerent, saepe confunderet.

Post Augustum vero, oportuit ut sua quoque huic patrimonio in immensum crescenti, administratio constitueretur. Hos enim habemus quasi fontes patrimonii praecipuos :

1° Proprias uniuscuiusque ad imperium pervenientis familiae fortunas, de quibus infra loquemur.

2° Relictas principibus hereditates quibus nullum uberiorem reditum habuerunt. Mos enim pessimus instituendi principis in testamento vel heredis vel legatarii, ab Augusto coeptus, adeo postea invaluit ut morientibus quasi officium et necessitas fieret et principis cuiusque mores ex hoc potissimum cognoscamus quales se in appetendis vel repudiandis hereditatibus gesserint. Per viginti annos Augustum quater decies milies ex testamentis amicorum percepisse, fortunasque privatorum a Caligula, Domitiano Commodo aliisque, nunc quia scripti, nunc quia non scripti essent, expilatas esse comperimus (2).

Praeterea autem principibus, utpote patronis, partem pecuniarum, quas reliquissent eorum liberti, ex omnibus fere Romanis ditissimi, vel liberti fami-

(1) Mon. Ancyr., III, 9 ; III, 8, 17 ; III, 34 ; III, 11 ; IV, 19, 21, 24.
(2) Suet., *Aug.*, 101. Plin., *Paneg.*, 43. *Vita Commodi*, c. 19. — Cf. Dirksen (*Scriptores Historiae Augustae*, 238), qui locos ad rem pertinentes collegit.

liarum quas principes contingerent (1), debitam esse constat.

Non suorum tantummodo libertorum principes heredes erant, sed etiam quum hereditate vel confiscatione patroni cuiusdam substantia ad principem pervenisset, libertorum patronus et ipse fiebat et patronatus iura exercebat. Hoc, quamvis legibus contrarium, quoniam, in iure, patronatus nulla pars esset hereditatis ad externos heredes translatae, saepe tamen evenisse constat. Neque aliter titulos illos explicaremus : « *L. Pompeio Aug. lib. Fortunato* (2). — *C. Asinio. Aug. lib. Paramythio Festiano* (3). » Ex quibus apparet Augusto, cum substantia Pompeii et Asinii etiam iura in eorum libertos cessisse : quod postea etiam lege sancitum est.

Pertinaci enim placuisse Severus memorat ut in iura patronorum erga libertos fiscus succederet (4).

Praeterea multos libertos, relictis propriis patronis ad principis patronatum transire solitos esse, quo melius protegerentur, Tacitus tradit (5).

Omnes autem illas hereditates, quarum multae ex praediis constarent (6), patrimonio cessisse ex titulis

(1) Scribit Suetonius (*Nero*, 32) instituisse Neronem ut pro semisse dextans ei relinqueretur e libertorum defunctorum bonis qui sine probabili causa nomen familiarum quas ipse contingeret, usurpavissent.

(2) Wilm., 1312.

(3) *C. I. L.*, VI, 12533.

(4) C. Iust., VI, 4, 1.

(5) Tacit., *Hist.*, II, 32.

(6) *C. I. L.*, VI, 2, 8432 : « P. Aelius Aug. lib. Florus qui proc(uravit) in ratione hered(itatium) ad leges praedior(um). »

libertorum ad hanc curam iam inde a Tiberio constitutorum apparet (1) : solum tamen a Domitiani tempore incipit series procuratorum (2), quos primum plerumque libertos et in modesto loco positos, deinde ab Hadriani tempore auctos esse dignitate et ducenarios factos vidimus. Utrum diversi hereditatium procuratores in Italia fuerint, an *statio* unica Romaeque posita, parum liquet. Eorum adiutores aliquos novimus : *promagistrum* quemdam hereditatium (3), *advocatos fisci stationis hereditatium*, qui negotia principis tueri deberent (4) ; servos *praesignatores*, qui profecto occuparent vel describerent hereditates (5) ; librarios, tabularios, a commentariis, ab auctoritatibus (6), commentarienses. Haec in Italia : in provinciis autem utriusque generis curam hanc non proprii hereditatium procuratores, sed or-

(1) Scribonius Largus, c. 41 : « Hoc Anthero Tiberii libertus supra hereditates remediatus est. »

(2) « Lémno Aug(usti) l(iberto) proc(uratori) patrimóni et hered(itatium) et Domitiae Phyllidi L. Domitius Lémnus f(ilius) » (*C. I. L.*, VI, 2, 1499.

(3) Wilm., 1272.

(4) Wilm., 1282 (in tempore Severi et Caracallae) : « *Q. Acilio Tusco v. e... fisci advocato cod(icil)lari stationis hered(ita)tium et cohaerentium.* »

Quid significet verbum hoc *cohaerentium*, incertum est. Ad *thesauros* forsitan vacantes referendum est.

(5) Fabretti, 38, 184. Murator., 915, 6. — Cf. C. Th., X, 9, 1.

(6) Gruter, 1113, 4; 149, 6; 589, 10. — Fabretti, 99, 223. — Henzen, 6329. — *C. I. L.*, III, 1998 : « Epaphrodito Aug. lib... ab auctorita(tibus) ration(is) heredit(atium). » — Wilm., 1388.

« *Auctoritates* probavit Mommsenius (*C. I. L.*, III, 1998) esse instrumenta, diplomata, chartas, quidquid auctoritatem facit in rerum possessione. » Cf. C. Th., II, 27, 1, § 6. — Dig., XIII, 7, 43.

dinarii Caesaris procuratores habuisse videntur, ita ut simul bona fisco Caesaris et bona patrimonio adiudicata conscriberent (1). Iussu procuratoris quoties ipse rem suscipere nolebat, adire poterant hereditates Caesari relictas vel servi principis vel liberti, quibus ideo nomen *a codicillis* saepius additur (2).

Hoc etiam animadvertamus, hereditates, a procuratoribus hereditatium semel ascriptas, in formam patrimonii redigi et ad aliorum procuratorum curam transferri (3).

3° *Bona damnatorum* inter aerarium, fiscumque et patrimonium dividi iam notavimus ; ita enim se res habet sub Augusto, cuius fisco bona Cornelii Galli et Agrippae Postumi, patrimonio autem regis Archelai fortuna addicta est (4). Fisco magis quam aerario Tiberius favet, quum fisco concedantur Silii,

(1) *C. I. L.*, III, 431 : « *Proc. heredit(atium) et proc. pro(vin)ciae Asiae.* » — Wilm., 1265 : « *Procur. Augg. stationis hereditatium item provinciae Narbonensis* (ubi agitur de procuratore provinciae qui est simul procurator stationis hereditatum). » — Dig., I, 19, 1, § 2 : « est hoc praecipuum in procuratore Caesaris quod et eius iussu servus Caesaris adire hereditatem potest et si Caesar heres instituatur, miscendo se opulentae hereditati procurator heredem Caesarem facit. »

(2) Dig., *l. c.* — *C. I. L.*, VI, 2, 8441, 8442 : « Hirchsfeldius sensum nominis hujus *a codicillis* feliciter reperit ex comparatione tituli *C. I. L.*, VI, 2, 8440 : *T. Aurelius Egatheus Imp. Antonini Aug. lib. a codicillis* cum verbis Frontonis (ad M. Caes., 2, 16, p. 37, ed. Naber) de hereditate uxori Marci Aurelii a Matidia relicta; *unde nihil Egatheus acceperit.* » Cf. Dig., XLIX, 14, 1, pr. : « vel quod princeps heres institutus et testamentum sive codicilli surrepti esse nuntiantur. »

(3) Dig., XXX, § 39, 10 : « sed ea praedia Caesaris, quae in formam patrimonii redacta. »

(4) Dio Cass., 53, 23; 55, 32, 2. — Ioseph., *B. I.*, II, 7, 3.

Sexti Marii et Seiani bona (1), quanquam et suum adhuc aerario ius servatur, saltem usque ad Traiani tempus (2). Laudatur a Spartiano Hadrianus quod damnatorum bona non in fiscum privatum sed in aerarium contulerit (3).

Sub Nerone fortunas illorum sex dominorum qui semissem Africae possiderent, patrimonio cessisse pro certo habemus (4). Quemadmodum tamen bona istius generis inter fiscum et patrimonium dividerentur, parum liquet, nec Hirchsfeldio assentior, contendenti tota patrimonio attributa esse. Ea enim, postquam Septimius Severus *rem privatam* constituit, etiamnunc a fisci procuratoribus plerumque vendi et in nummos redigi constat (5).

(1) Tacit., *Ann.*, IV, 20 : « *liberalitas Augusti avulsa , computatis singillatim quae fisco petebantur.* » — VI, 2 : « *bona Seiani ablata aerario ut in fiscum cogerentur.* » VI, 19 : « *Sex. Marius Hispaniarum ditissimus,... aurariasque eius quanquam publicarentur sibimet Tiberius seposuit.* » — Hic autem utrum fisco an patrimonio addictae sunt aurariae Marii, nescio.

(2) Tacit., *Ann.*, VI, 17 (sub Tiberio) : « *tot damnatis, bonisque eorum divenditis, signatum argentum fisco vel aerario attinebatur.* » — Plin., *Panegyr.*, c. 55 : « *aerario autem... quod sumptibus eius adhibes modum, ut qui exhaustum non sis innocentium bonis repleturus.* » — « Duplicem tamen illius loci sensum reperias, sive de donationibus ab imperatore ad aerarium ex fisco collatis, sive, quod probabilius est, de concessis aerario bonis damnatorum agitur. »

(3) Vita, c. 7 : « damnatorum bona in fiscum privatum redigi velint, omni summa in aerario publico recepta. »

(4) Plin., *H. N.*, VI, 35 : « sex domini semissem Africae possidebant, cum interfecit eos Nero princeps. »

(5) Dig., XLIX, 14, 45, § 2, 4, 11 (de iure fisci).

CAPUT TERTIUM.

QUEMADMODUM PATRIMONIUM TRANSMITTERETUR.

Exploremus nunc quemadmodum patrimonium illud transmitteretur. Quamdiu gens Iulia Claudia imperium tenuit, hereditas in eadem quasi privatorum familia, secundum ordinariam successionis seriem permansit. Sic in hac formula « *tabularius rationis patrimonii Caesarum* (1), non Caesaris hujus aut illius, sed Caesarum generaliter, quicumque regnum obtineat, mentionem fieri Hirchsfeld recte animadvertit. Sic Tiberium Augusti et Liviae, Neronem Caii et matris Agrippinae heredem esse comperimus (2). Hactenus igitur privatam, ut ita dicam, hereditatem habemus.

Ecce autem novi aliquid, Flaviis imperium occupantibus, apparet, in quorum possessionem non solum Caesarum nomen, sed et patrimonium venit. Res multis argumentis comprobatur. Sic Pausilippus (3),

(1) Wilm., 1352.
(2) Cuius rei argumenta videbimus infra.
(3) Dio Cass., 54, 23. — Plin., *H. N.*, IX, § 167.

haec antiqua Augusti possessio, Chersonnesus eidem ab Agrippa relicta (1), hortique Sallustiani (2) et villa Albanensis, ex Pompeio ad Dolabellam et Antonium, postremo ad Augustum transmissa (3), omnia haec praedia post Vespasianum in patrimonio numerantur. Figulinas Ariminenses Vibii Pansae, in patrimonium redactas, per manus Augusti, Tiberii, Caii, Claudii, Neronis, Galbae usque ad Vespasianum transmissas esse videmus (4). Bona etiam Galbae Flaviis cessisse ex vicibus hortorum Argianorum comperimus, qui ab Argio, Galbae liberto in patrimonium seu confiscatione seu iure patronatus venerunt. Domitianum Titi heredem fuisse pro certo haberemus, etiamsi res nullis argumentis comprobaretur (5).

Auctum igitur quotidie, patrimonium illud privatum per diversas familias transibat. Iure tamen principes, ubi ad imperium pervenerant, fortunas peculiares alicui suorum liberorum legare potuissent, qui non ad successionem regni vocaretur. Nec desunt huius rei exempla. Sic Pius patrimonium privatum, postquam fructus eius in rempublicam, quoad vixisset, contulerat, filiae moriens reliquit et testamento omnes suos legatis idoneis prosecutus est (6). Eodem

(1) Dio. 54, 29. — *Ephem. Epigr.*, V, fasc. 1-2, n° 226 (ad annum 55) : « numini domus Augustae... familiai Caesaris. »

(2) Dig., XXX, 39, § 8.

(3) Cf. Nibby, *Dintorni*, I, 94.

(4) *C. I. L.*, V, 8110, 1-28.

(5) Marini, *Iscrizioni antiche doliari*, n. 12, 15.

(6) *Vita Anton.*, c. 7 : « *patrimonium privatum in filiam contulit,*

modo Pertinax et Didius Iulianus, vix imperio potiti, liberis fortunas privatas tradiderunt (1). Cessit a Traiano ad uxorem eius Plotinam fornax Quintiana et bonorum maternorum partem Mummio Quadrato, sororis filio, dedisse Marcus Aurelius traditur (2).

Hoc enim in iure intererat inter fiscum et patrimonium quod hoc proprium esset principis, ille autem principis simul et reipublicae ita ut hoc alii ac successori relinqui vel legari, ille nemini nisi successori transmitti posset. Putavit tamen Mommsenius (3) nihil inter utrumque thesaurum interesse et usque ad tempus Caracallae fiscum fuisse rem propriam principis et dari legarique et omnibus modis alienari potuisse aeque eademque libertate ac patrimonium. Hanc opinionem nemo sequetur, Hischfeldiusque (4) iam refutavit. Quae tamen Mommsenius attulit argumenta, breviter percurramus et retorqueamus.

1° Quod in tabulis alimentariis nunquam fiscus a patrimonio distinguatur (5), nemo mirabitur : hic

sed fructus rei publicae donavit. » — C. 7 : « *privatum patrimonium filiae reliquit, testamento autem omnes suos legatis idoneis prosecutus est.* » — « Hoc autem patrimonium postea, nescio quo modo, *rei privatae* cessisse certum est. » Cf. Notitia dignitatum Occ., c. 1 (comes rerum privatarum), § 4 : « *rationalis rei privatae per Urbem Romam et suburbicarias regiones cum parte Faustinae* » (Böcking, p. 383).

(1) Dio Cass., ep. 73, 7, 3. — *Vita Didii Iuliani*, c. 8 : « filiam suam potitus imperio dato patrimonio emancipaverat quod ei cum Augustae nomine statim sublatum est. »

(2) Marini, *l. c.*, n^os^ 26-28. — Vita Marci, c. 7.

(3) *Staatsrecht*, II, 2, p. 957-961 : « cum notis. »

(4) *L. c.*, p. 8.

(5) Tab. Veleian. : « imperator noster » (col. 4, lin. 60; 4, 76; 6, 2).

enim tantum necesse erat ut hinc populi, illinc Caesaris praedia nominarentur : parum intererat utrum fisci essent an patrimonii.

2° « *Res fiscales*, ait Ulpianus in Digestis, *quasi propriae et privatae principis sunt* (1). » Sed a jurisconsultis istius temporis verborum proprietatem minus servatam esse constat, neque vis verbi *quasi* omittenda est. Ceterum in Callistrati fragmento (2) clarius distinguuntur Caesaris possessiones a locis fiscalibus vel publicis religiosisve; neque dicendum est, quum Callistratus Severi tempore vixerit, illius verba forsitan ad *rem privatam* pertinere; nam divorum fratrum constitutionem, Aurelii scilicet et Veri Callistratus retulit.

3° Negligentiore stylo scriptores Historiae Augustae scribere certum est quam ut verbis Spartiani de Hadriano « *infinitam pecuniam quae fisco debebatur, privatis debitoribus* » remittente aliquam inesse auctoritatem credamus (3).

4° Iam vidimus ab Augusto, heredibus Tiberio et Livio non pecunias publicas fisci, sed privatas patrimonii, quae de immensis hereditatibus superessent, esse relictas.

5° A Tiberio per testamentum nepotibus pecuniae fisci patrimoniique simul relictae esse videntur, sed

(1) Dig., XLIII, 8, 2, § 4.

(2) Dig., XLIX, 14, 3, § 11 : « si in locis fiscalibus vel publicis religiosisve Divi fratres constituerunt... item si in Caesaris possessione repertus fuerit. » — Cf. XLIX, 14, 6, § 1 : « quodcumque privilegii fisco competit, hoc idem et Caesaris ratio et Augustae habere solet. »

(3) *Vita*, c. 5.

ea mente ut imperio ambos destinaret. Senatus autem, expulso altero coherede, « *ius arbitriumque omnium rerum* » Gaio commisit (1); nec facile credemus inter utrumque divisas esse fisci pecunias.

Eodem modo, quum Gaius Drusillam sororem « *heredem bonorum atque imperii* (2) » instituere vellet, quid aliud quam pecuniae fiscalis possessionem cum regni possessione cohaerere fatebatur? Fiscales igitur pecunias non cuilibet, ex arbitrio principis, ut patrimonium tradi potuisse manifestum est, sed ei tantum qui imperio potiretur. Alii vero imperium, alii bona fiscalia obtigisse nullo comprobatur exemplo. Imo saepe factum esse vidimus ut principes patrimonium privatum in liberos qui imperio non destinarentur, conferrent, quasi se a transmittenda pecunia fiscali, si non lege certa, consuetudine saltem, prohibitos fuisse faterentur. Hoc etiam propalàm Pertinax declaraverat qui, ne ipsius nomen fisci possessionibus inscriberetur, vetuerat, eas esse non principis sed Romanorum asseverans (3).

Patrimonium igitur a fisco, quod ad ius attinet, differre constat, quamvis de utroque vivus aequa cum libertate princeps iubeat.

Inde vero, si ex iure ad facta transierimus, patrimonium illud magis et magis ex privato publicum

(1) Sueton., *Gai.*, 14 : « *consensu senatus.... inrita Tiberii voluntate qui testamento alterum nepotem suum... coheredem ei (Gaio) dederat, ius arbitriumque omnium rerum illi permissum est.* »
(2) Sueton., *Gai.*, c. 24.
(3) Herodian., II, 4, 7.

factum esse regnoque adhaessisse non minus ac fiscales possessiones apparebit. Gentis Iuliae Flavios heredes; Marcum Aurelium Hadriani (1), Marci Aurelii et Pertinacis Severum (2) vidimus.

Neque hoc ipsos imperatores fugerat. Iam enim decreverat Caligula ut qui legata Tiberio dare voluissent, ea eius successori relinquere deberent, quasi heredi privato (3) Ex constitutione Antonini, quod principi relictum erat, mortuo antequam dies legati cessisset, successori debebatur (4) : quod tamen ne in Augustae legatis servaretur, Hadrianus et Antoninus edixerant (5).

Ita igitur acciderat ut diversae principum familiae e patrimonii simul ac e regni possessione deturbarentur, ut exempli causa, filiae Didii Iuliani, quamvis emancipatae, propriae pecuniae cum Augustae nomine statim sublatae essent (6) et in fiscum redactae.

(1) Marini, n^{os} 120, 269, 185, 186, 202, 221, 238, 269, 277, 278 : « ubi figulinas Occanas ex Hadriano ad Marcum Aurelium Commodumque transmissas videmus. »

(2) Marini, n° 143 : « ubi figulinas Lucillae, Marci Aurelii matris Septimius Severus tenet. » — *C. I. L.*, VIII, 8425-26 : ubi praedia Pertinacis ad Severum pertinent. »

(3) Dio. Cass., 59, 15.

(4) Dig., XXXI, 56 : « quod principi relictum est, qui ante quam dies legati cedat, ab hominibus ereptus est, ex constitutione divi Antonini successori eius debetur. »

(5) Dig., XXXI, 57 : « si Augustae legaveris, et ea inter homines esse desierit, deficit quod ei relictum est, sicuti divus Hadrianus in Plotinae et proxime Imperator Antoninus in Faustinae Augustae persona constituit. »

(6) *Vita Didii*, c. 8.

CAPUT QUARTUM.

DE RATIONE PRIVATA.

Novum ergo patrimonium, quod penitus a pecuniis publicis distingueretur, Septimio Severo, fiscalium rerum perito, utpote qui fuisset advocatus fisci, creari visum est : congesto in unum quidquid ei provenerat, praesertim ex magnis confiscationibus post cladem Pescennii Albinique factis, *rationem privatam* constituit (1), eodemque iure iisdemque privilegiis ac fiscum munivit (2). Non autem diutius quam patrimonium permansit *ratio privata* in familia Severi, ita ut regno mox pariter adhaereret et tertio iam seculo duo bonorum genera habeamus, quae post Diocletianum melius distinguentur, hinc bona fisci veterisque patrimonii publica, illinc bona rationis privatae, usui principum addicta, quae hodie apud nos bona *coronae* nominarentur.

Tunc vero novae privatae rationi assignati sunt

(1) *Vita Severi*, c. 12. — Dio. Cass., *Ep.*, 73, 16; 74, 18.

(2) Dig., XLIX, 14, 6, § 1 : « quodcumque privilegii fisco competit, hoc idem et Caesaris ratio et Augustae habere solet. »

multi reditus qui antea patrimonio obtigerant : inter quos hereditates principibus relictae, quae, dum bona caduca *procuratoribus hereditatium fisci* (1) attribuerentur, per aliquod tempus novo *procuratori hereditatium patrimonii privati* (2), deinde autem, ut verisimile est, procuratori rationis privatae commissae sunt. Inde fit ut post Caracallam nullus Romae aut in Italia procurator patrimonii appareat (3) : multi tamen adhuc in provinciis reperiuntur.

Nonnulla etiam praedia ex patrimonio ad rationem privatam transiisse certum est, ut Sallustianos hortos, fundum Albanum (4), hortosque Lamianos (5).

Bona autem damnatorum in principio tertii seculi ad procuratores novos commissa esse videntur (6), qui

(1) C. Iust., VII, 54, 1 : « Imp. Antoninus A. procuratoribus hereditatium fisci. »

(2) Wilm., 1275 : « *M. Aquilio... a(d) census equit. Roman. praef. cl. pr. Ravennat. proc. patrim. bis proc. hered(itatium) patrim(onii) privat(i).* »

Recte asseveravit Hirschsfeldius contra Henzenium non duo esse numera, proc. hereditatium et proc. patrimonii, sed unum, quod tamen non diu permansisse videtur.

(3) Ultima mentio in Ulpiano est (sub Caracalla). Dig., XXX, 39, 10 : « Sed et ea praedia Caesaris quae in formam patrimonii redacta, sub procuratore patrimonii sunt. »

(4) Hoc enim coniicio ex Ulpiani verbis (sub Caracalla). Dig., XXX, 39, § 8 : Si vero Sallustianos hortos qui sunt Augusti, vel fundum Albanum, qui principalibus usibus deservit. Cf. *Bullett. dell' Ist.*, 1876, p. 115 : « Ortorum Sallustianor. imp. Sev Alexandri. Aug. (in fistula). »

(5) Lanciani, Silloge epigrafica aquaria n° 36 ubi hi horti ad « *stationem propriam privatam* » pertinent.

(6) Wilm., 1278 : « Q. Val... Romulo equo publico proc. ad bona damnatorum ; » 1291 : « T. Claudio Zenoni. proc. ad b(ona) damnatorum. »

utrum ad fiscum an ad rationem privatam pertineant, incertum est : potius tamen contra Hirschfeldium crediderim inde a Philippo et Gordiano bona damnatorum fisco esse attributa (2).

(2) C. Iust., IX, 49, 3-6 (De bonis proscriptorum seu damnatorum), ubi semper fiscus nominatur.

CAPUT QUINTUM.

DE DIVERSIS RATIONIS PRIVATAE ET PATRIMONII PRAEDIIS.

Antequam praediorum administrationem exploremus, enumerandae sunt eae quarum memoriam habemus possessiones, quamvis saepius incertum sit utrum ad patrimonium pertineant an ad rationem privatam.

I. Rationis privatae comperimus fuisse praedia multa in Italia et Africa, de quibus infra loquemur; nonnulla autem in Germania, Belgica, Bithynia, Ponto, Paphlagonia (1), Cappadociaque, quantum ex posterioribus documentis coniicere licet; de quibus autem nihil fere innotuit praeter nomen.

(1) Wilm., 1293 : « (Timesitheus) proc. prov. Bithyniae Ponti Paphlagon(iae) tam patrimoni quam rat(ionum) privatar(um)... item vice proc. patrim. prov. Belgic(ae) et duarum Germaniar(um) ibi vice praesid(is) prov. German(iae) inferior(is)... proc. ration(um) privat(arum) per Belgic(am) et duas Germ(anias). » *C. I. L.*, III, 1456 : « Q. Axio... Aeliano... proc. rat. priv. prov. Maur. Caes. item per Belgicam et duas Germanias. — Animadvertas in reipublicae liberae tempore Bithyniae pascua societati Bithynicae publicanorum elocata esse. » (Ciceron. *Ad fam.*, 13, 9 et 65.)

II. De patrimonio plura suppetunt omnium generum documenta.

1° Romae palatia, castra praetoria, horrea, aliaque huiusmodi aedificia, de quibus sermonem non instituo, ad patrimonium pleraque pertinuisse constat (1).

2° Horti quoque fuerunt patrimonii, inter quos praecipuos habemus (2).

H. Argianos ab Argio, Galbae liberto dictos (3).

H. Asinianos ex Asinio Pollione ad Augustum certe transmissos.

H. Vaticanos (4), e duabus partibus constantes, alteram quae ab Agrippina, filia natu maiore Agrippae post mortem Caligulae, Agrippinae alteri, post eam autem, Neroni cesserat; alteram quam Domitiae, filiae Lucii Domitii Ahenobarbi, simul atque praedia Baiarum et Ravennae Nero abstulerat.

H. Caesaris a Caesare populo Romano relictos.

H. Domitianos, possessionem privatam gentis Domitiae quos postea Domitiae Lucillae (5) fuisse constat, ita ut partem bonorum Neronis non eius suc-

(1) Inter multa exempla habemus titulum ad praedia Galbana, vel horrea Galbae pertinentem (*Bullett. dell' Istit.*, 1885) ubi procurator patrimonii Caesaris apparet.

(2) Seriem, quae sequitur, hortorum ex Nibby opere desumptam esse (*Roma antica*, art. X, p. 292-373) monemus, cui nonnullos aliunde addidimus.

(3) Cf. p. 22.

(4) Capitol., *Anton.*, 5; Vopiscus Aurelian, c. 49; Senec., *De ira*, III, 18; Dio. Cass., *ep.*, 61, 17; Sueton., *Nero*, 34.

(5) Nibby. l. c.

cessori, sed familiae, generi scilicet Domitiorum Calvinorum cessisse coniiciamus.

H. Epaphroditianos ab Epaphrodito dictos, Neronis liberto, quem Domitius interfecit.

H. Lamianos, forsitan Tiberio ab eorum possessore Lucio Aelio Lamia transmissos.

H. Lucullanos, quos interfecto Valerio Asiatico Messalina patrimonio acquisivit.

H. Maecenianos a Maecenate et H. Pallantianos a Pallante dictos.

H. Pompeianos ex Pompeio ad Antonium Augustumque transmissos.

H. Sallustianos qui Neroni, forsitan vacantes, obtigerunt.

H. Servilianos sine dubio per confiscationem Q. Caepionis Bruti, unius e Caesaris interfectoribus acquisitos.

H. Torquetianos quorum apud Frontonem mentio est.

H. Varianos a Sexto Vario Marcello, Elagabalis patre nominatos.

H. Licinianos quos imperator Valerianus a patre adoptivo Publio Licinio acceperat.

H. Antonianos. H. Statilio Tauro ab Agrippina ereptos.

3° Hae nobis notae sunt imperatorum in Italia villae vel praetoria (1).

(1) Pleraque illa praedia enumeraverunt iam Friedländer (*Sittengeschichte*, I, 234; II, 94) et Hirchsfeldius, l. c., p. 24, cum notis.

Albanum vel potius omnia palatia villaeque et praedia circa Albanum sita, per Antonium a Dolabella ad Augustum transmissa, que postea fere tota ad Ecclesiam romanam transferentur.

Antium (1) ubi iam moratum esse Augustum videmus.

Alsium quod Pompeii fuerat (2).

Baiae, Caieta, Capreae, Circei, Lanuvium, Formii (3).

Lorium ab Antonino ad Marcum Aurelium transmissum (4).

Misenum ubi plures erant villae, quarum una Caesaris, alia Luculli fuerat.

Ostia — Praeneste, ubi fundi multi ad Ecclesiam transferentur — Puteoli (5), — Tarracina (6), — Pausilippus, — Sublaqueum (7), — Tibur, Tusculum, ubi antiquas Luculli et Tullii villas ad imperatorem translatas esse Strabo refert (8).

Villa Gordianorum prope Romam, in loco qui hodie *Tor Sapienza*, *Tor de' Schiavi* cognominatur.

Villa Quintiliorum, fratribus Quintiliis a Commodo erepta (9).

(1) *C. I. L.*, I, p. 326; X, 6667, 6686; Lanciani, *Silloge*, n° 262-44.
(2) Henzen, 5144.
(3) *C. I. L.*, V, 5050; Tacit., *Ann.*, t. XIV, 4; Orelli, 2351.
(4) Nibby, l. c.; Lanciani, n° 285.
(5) *C. I. L.*, X, 1749-51.
(6) Cf. La Blanchère, *Terracine*.
(7) Tacit., *Ann.*, t. XIV, 22; Frontin., *De aquis*, § 93.
(8) Cf. Gruter, 1112, 2.
(9) Dio. Cass., *ep.* 72; Lanciani, *Silloge*, n^os^ 195, 285; *Bullett. dell' Ist.*, 1873, fasc. 3, p. 85.

Villa cuius nomen latet, prope vicum hodie *Pratica* cognominatum (1).

Villa (2) cui adhaeret memoria Traiani Antoninique Pii ad vicum *La Chiaruccia* dictum, haud procul a Villa Mamurrana, quae ubi sita fuerit, latet (3).

4° Sequuntur praedia in omnibus orbis Romani partibus dispersa. In Asia, Syriae, Ponti, Armeniae et Cappadociae, possessiones habemus; sunt aliquae in Sardinia, Siciliaque (4), in Belgica et Germania (5), in Norico (6), in Pannonia (7), in Chersoneso, forsitan et in Gallia (8).

Sunt autem multo plures in Italiae partibus, quas enumeremus licet :

Praedia illa quae indicantur hac mentione in tabulis alimentariis : *adfine Caesare nostro*.

Saltus Caesaris de quibus Frontinus loquitur (9),

(1) Lanciani, *Silloge*, n° 238.

(2) *Ibid.*, 292-93.

(3) Orelli, 103.

(4) Orelli, 3355; *C. I. L.*, X, 7588.

(5) Wilm. 1293.

(6) *C. I. L.*, III, 5695 : « Domnica rura; » 4800 : « Tabularius pa-(trimonii?) regni Norici. »

(7) *C. I. L.*, III, 4219 (Savaria) : « Ex p(rae)p(osito) si(l)varum dominicarum. »

(8) *C. I. L.*, V, 7870 (ad Nicaeam) : « *Procurator Augustorum nostrorum, idem ducenarius episcoepseos chorae inferioris.* — Mommsenius putat ant territorium illud, hactenus a Massiliensibus possessum, in manus imperatoris venisse ant episcopo Massiliensi adjunctum fuisse procuratorem quemdam principis. »

(9) Frontin, p. 46, 5. Notitia dign. occ., c. 11 : « Procurator rei privatae per Apuliam et Calabriam sive saltus Carminianenses. » Cf. *Inscr. Neapol.*, 2627 : « Procurator regionis Calabricae » (*C. I. L.*, X, 1735).

qui nescio an iidem sint ac saltus illi Carminianenses Apuliae et Calabriae, in Notitia dignitatum memorati : hos tamen potius ad fiscum pertinuisse putavimus (1).

Fundus Albanus, villae vicinus (2) ; — saltus Domitianus (3) ; — praedia Luciliana (4) ; — praedia Galliana (5) ; — praedia Galbiana vel Galbana, ad Aventinum sita, in quibus erant horrea Galbae (6) ; — praedia Maeciana, fortasse per confiscationem Volusiano Maeciano iurisconsulto, Avidii Cassii fautori, erepta (7) ; — praedia Statoniensia in Etruria (8) ; — praedia Peducanea et Romaniana (9). — praedia circa Polam in Histria sita, quae amplissima fuisse videntur (10) ; — fundus Antonianus, in via Claudia prope Romam situs, Ecclesiaeque Romanae sub papa Marco a Constantino concessus, quem Rossius eumdem esse conjecit ac fundum illum cuius aliquam partem praetorium Tusci appellatam esse Passio Alexandri indicat, ab Annio Tusco, patre Pescennii

(1) Vide supra.

(2) Dig., XXX, 39, 8.

(3) *C. I. L.*, III, 536.

(4) *I. N.*, 6866 : « Fortunati Caesaris, n. ser. exactoris praediorum Lucilianorum. »

(5) *C. I. L.*, III, 536 : « Proc. at praedia Galliana. » Cf. Plin., H. N., III, 15, 116 : « Saltus Galliani qui cognominantur Aquinates. » — Quae praedia eadem esse ac illa quae vidimus *vectigalia populi Romani Gallicana*, Hirchsfeldius contra Mommsenium negat.

(6) Vide supra.

(7) Orelli, 5015.

(8) Ut coniicit Marini ad n° 141.

(9) *C. I. L.*, VI, 276, 721.

(10) *C. I. L.*, V, 41 et seq.

Nigri cognominatam; et quem in Antonini manus, post cladem Pescennii venisse verisimile est (1) — fundus ad Vada Sabatia in Liguria, quem supra modum extendisse, oppressis fenore vicinis possessoribus, Pertinax traditur et in quo per homines suos mercaturas exercere non aliter quam privatus solebat (2).

5° Multas etiam figulinas in praediis imperatorum ex operum doliarium inscriptionibus sitas esse comperimus : quamvis plerumque locus lateat, nomina saltem indicare operae pretium est. Innotuerunt : officina Pausiana a Claudio ad Neronem Vespasianumque transmissa; figulinae Genianae a Tito ad Domitianum; fornax Quintiana a Traiano ad uxorem Plotinam transmissa, quam Fabrettius *ad quintanas* fuisse prope Labicum putat; officina Terentiana a Domitia Lucilla ad filium Marcum Aurelium; fabricae Bucconianae a Plautiano ad Severum; figulinae Oceanae ab Hadriano ad Marcum Aurelium; figlinae Ariminenses, quas iam vidimus (3).

(1) Cf. Duchesne, *Liber pontif.*, II, p. 203, n. 3. De Rossi, *Bollet. di arch. christ.*, 1875, p. 156.

(2) *Tab. Peutinger* (Ed. Desjardins), p. 106. *Pertinacis Vita*, c. 9 et 13.

(3) Marini, n^os^ 3, 4, 5, 6, 7, 8, 10 (Pausianae); 15, 120 (Genianae); 26-28 (Quintianae); 101, 57, 60, 127, 140, 193, 194, 195, 241, 242 (Terentianae); 218, 227, 229, 893 (Bucconianae); 278, 422, 446, 120, 185, 202, 277 (Oceanae).

CAPUT SEXTUM.

DE AUGUSTARUM IUVENUMQUE PRINCIPUM FUNDIS.

Superest ut Augustarum patrimonium inspiciamus, quod saepe amplissimum fuisse constat. Si credendum Tacito, Agrippinae opes haud procul ab imperatoriis copiis aberant (1). Ex Salomae testamento cesserat una ex Palestinae toparchiis cum urbibus Iamna, Azoto, Phasaeli, Ascalonia, sexagintaque talentorum reditu (2). Eiusdem erant etiam praedia ad Thyatiram Lydiae, e quibus arca quaedam Liviana constabat (3). Ex tegularum inscriptionibus novimus etiam praedia Antoniae, Drusi uxoris, Messalinae, Agrippinae, Poppeae Sabinae, Octaviae, Domitiae Domitiani, Flaviae Domitillae, Plotinae Traiani, Marcianae eiusdem sororis, Boconiae Procillae aviae et Arriae Fadillae matris Antonini pii, Matidiae iunioris, Domitiae Lucillae, matris Marci Aurelii, Faustinae eius uxoris, Vibiae, Aureliae Sabinae eius filiae (4).

(1) Tacit., *Ann.*, XIII, 13.

(2) Ioseph., *B. I.*, II, 63. *Antiq.*, 18, 2, 2; 18, 6, 3.

(3) *C. I. Gr.*, 3484, 3497 (ἐπίτροπος Σεβαστοῦ ἀρχῆς Λιουιανῆς).

(4) Pro unaquaque, secundum seriem, haec sunt argumenta. Murat.,

Ea Augustarum bona eodem modo administrata fuisse videbimus ac praedia imperatorum ; multa etiam in commune ab Augusto Augustaque possidentur (1). Hoc tamen inter utrumque bonorum genus interest ut legata Augustae relicta, quae ob mortem praematuram capere non potuerit, Augustae alii non debeantur (2). Sed bona propria Augustarum ad filios et inde ad patrimonium transire comprobavimus, exceptis nonnullis quibus post mariti mortem fruantur. Constituta autem ratione privata, omnia fisci privilegia etiam rationi Augustae conceduntur (3), et quoniam in titulis tertii seculi procuratores Augustae frustra requiruntur, inde conjici potest rationem Augustae partem quamdam et quasi ramum esse rationis privatae : quamvis et adhuc ius suum servet, ut se res post Diocletianum habebit (4).

Sua etiam iuvenibus principibus bona fuisse comperimus, quae propriis uterentur procuratoribus (5). Qualia autem essent, parum constat.

887, 2; 911, 4. *Ibid.*, 911, 7. Fabretti, 302, 283. Orelli, 717. Fabr., 294, 243. Murat., 916, 5. Henzen, 5408, 5410. Orelli, 733. Orelli, 4811. Wilm., 235. Sueton., *Domitian.*, 17. Marini, n° 27, 28 : *C. I. L.*, X, 7587. Henzen, 5662. Orelli, 834. Marini, 425, 426 ; *C. I. L.*, X, 4746. Marini, 57, 60, 101, 72. *Ibid.*, 117, 118, 120, 127. Orelli, 869.

(1) Marini, 46, 112. Gruter., IIII, 12. Henzen, 5949, 5738. *C. I. L.*, VIII, 9963.

(2) Dig., XXXI, 57.

(3) Dig., XLIX, 14, 6, § 1.

(4) C. Inst., VII, 37, 3.

(5) Wilm., 1255. *Vita M. Aurel.*, c. 7 : « Existimationis tantam curam habuit ut et procuratores suos puer semper moneret ne quid arrogantius facerent. »

CAPUT SEPTIMUM.

QUID AD REM NOSTRAM CONFERANT DONATIONES A CONSTANTINO ECCLESIIS FACTAE.

Documentum quoddam maximi ponderis hactenus negleximus, vitam scilicet papae Silvestris ubi inter alias res enumerantur concessa a Constantino basilicis prædia. Quantae sit auctoritatis, optime demonstravit Duchesnius (1) qui eius auctori cartam genuinam donationum ex tabulario sanctae sedis depromptam praesto fuisse perspexit. Eadem in imperatoriis beneficiorum libris legi potuisse valde probabile est.

At, inquies, civitatum bona ecclesiis a Constantino transmissa esse comperimus; plerasque donationes ex hoc fonte provenisse fatendum est; multas tamen e praediis imperatoriis constitisse liquet; quidquid enim circa Romam datum est, ad imperatorem certe pertinebat, quum Romae municipalia praedia non essent; deinde vero nonnullorum praediorum origo

(1) *Lib. Pontif.*, p. CXLV-CL.

fiscalis aperte declaratur. Donationes igitur Constantini, magna saltem ex parte, vel e fisco vel e ratione privata provenisse pro certo habeamus. Nullam fuisse civitatem videbimus, nullum vici territorium in quo imperatores nihil possiderent. Accepit igitur (1).

1° Basilica Constantiniana massas Gargilianam et Bauronicam in territoria Suessano (2), Aurianam in territorio Laurentino, M. Urbanam et Sentilianam in Ardeatino, M. Castem et Trapeas in Catinensi territorio.

2° Fons sanctus domos horreaque Romae, M. Festi prope Praenestem, M. Gabam et Pictas in territorio Gabinensi, M. Statilianam et Virginis in territorio Corano, M. Tauranam in Sicilia, fundum Bassi, M. Lavinas in territoria Cartiolano, fundum Caculas in territori Nomentano, M. Statianam in territorio Sabinensi. M. Murinas in territorio Appiano Albanensi; in Africa M. Iuncis, Capsis prope Capsam, Variam, Sardanami prope Minam, Camaras, Numas, Sulphoratam, Walzari; in Graecia, M. Cefalinam in insula Cephallenia, M. in Mengaulum, M. Amazon.

3° Basilica beati Petri multas Antiochiae domus, cellas, balnea, pistrinas et hortos, possessionemque suburbanam; Alexandriae possessiones aliquas itemque per Aegyptum et in provincia Euphratensi sub civitate Tyro.

4° Basilica Pauli possessiones in diversis civitatibus, Tarso, Tyro aliisque.

(1) *Ibid.*, p. 172-187, cum notis.

(2) *M* pro *massa* vel *massas* adhibetur.

5° Basilica Sessoriana possessionem Sponsas in via Labicana diversaque praedia sub civitatibus Laurento, Nepete, Falisca et Tudere.

6° Basilica sanctae Agnae magnas figulinas viae Salariae, quae ad modum urbis excreverant et varias possessiones.

7° Basilica Laurentii inter alias possessiones praedia feminae cuiusdam, quae fiscus persecutionis tempore occupaverat : haec igitur possessio fiscalis erat.

8° Basilica beatorum Petri et Marcellini, inter alia, fundum Laurentum quemdam, qui Augustae Helenae erat et varia praedia in insulis Sardinia, Miseno, Matidiaque (aut, alio nomine, promontorio Argentario).

9° Basilica Ostiae insulam fluvio inter Portum Ostiamque effectam.

18° Basilica Albanensis fere omnia quae ad villam Albanensem pertinerent, lacum Turni, fundum Molas, lacum Albanensem, massam Muci, dssertaque a legione parthica secunda *scheneca* (canabas) : quae omnia antea fisci fuisse patet.

11° Basilica Constantiniana Capuae diversas massas possessiones in territoriis Minturnensi, Caietano, Suessano, Capuano.

12° B. Neapolitana diversas possessiones.

Indicatur etiam in vita Silvestri unius cuiusque possessionis reditus, interdum minimus, ita ut imperatorum bona, ut et privatorum, non solum e magnis, sed etiam e parvulis fundis constitisse iure coniiciamus. Ad fiscum multae domus etiam pertinebant non Romae tantum, sed in aliis civitatibus.

CAPUT OCTAVUM.

DE PRAEDIORUM ADMINISTRATIÒNE.

Nunc videamus oportet quemadmodum haec praedia administrarentur.

I. Praediis populi Romani in Italia sitis, etiam quum reditus eorum adhuc aerario servaretur, imperatorius *procurator a rationibus* praefuisse videtur. Vidimus enim missum esse a Claudio comitem et amicum ad inspiciendos agros publicos, quos, sive procuratores vicinarum provinciarum, sive procuratores fisci fuerint, utcumque imperatorios fuisse constat.

In provinciis autem senatoriis, quaestoris locum in administrandis illis praediis a procuratore usurpatum esse verisimile est quanquam desunt rei argumenta, nec dubium est quin praedia ipsa cum fiscalibus fundis iam ab Hadriani tempore in unum cesserint.

II. Fundos fiscales in Italia ad *procuratorem a rationibus*, in provinciis ad procuratorem fisci pertinere certum est, quem fiscalium familiarum domi-

num, controversiarumque iudicem esse videmus (1).

Suum autem possessioni cuique esse procuratorem, procuratori provinciae subiectum ex Pauli fragmento (2) et titulis ad *Gallicana vectigalia* pertinentibus crediderim.

Ex omnibus autem procuratorum ministris, *adiutoribus a rationibus*, proximis, tabulariis adiutoribusque tabulariorum, optionibus, aliisque eiusdem generis hominibus, nullum invenimus qui peculiariter praediis fiscalibus adhiberetur.

III. Ampliora nobis de patrimonio suppetunt documenta. Initio principatus, penitus privatam fuisse patrimonii administrationem, quasi privatae fortunae et adhuc sub Tiberio tantum libertos in titulis occurrere constat (3).

Claudii libertus est primus quem novimus procuratorem Augusti a patrimonio (4); ea tamen aetate propriae patrimonio stationes et propria quasi vita conceditur, quamvis diutius adhuc procuratores eius in inferiori gradu iaceant (5) et adhuc post Hadrianum

(1) Dig., XLIII, 8, 2, § 4 : « Si forte de his sit controversia, praefecti eorum iudices sint. » Non dubium est quin hi praefecti procuratores sint.

(2) Dig., XLIX, 14, 47, 1 : « Ptolemaeus conduxerat a fisco possessionem eamque paulatim pluribus locaverat maiore quantitate quam ipse susceperat : conveniebatur a *procuratoribus* Caesaris. »

(3) Murat., 900, 3 : « Felicis Ti. Caesaris ad possessionis. » *C. I. L.*, VI, 2, 3962 : « *Bromius custos ration(is) patrimonii.* Hunc titulum, in columbario libertorum Liviae repertum putat Hirchsfeldius ad primorum principum aetatem pertinere.

(4) Henzen, 6345 : « *Ti. Claudius Marcellinus* (*proc.*) *Aug. a patrimonio.*

(5) Nominibus procuratorum patrimonii quae collegit Hirschfel-

qui eos ex equestri ordine plerumque desumi voluerit (1), procuratoribus provinciarum et vigesimae hereditatium cedant.

Novimus in primis stationem patrimonii Romae positam in qua, ad instar fisci constituta reperiuntur *tabularii*, *a commentariis*, optiones tabellariorum, dispensatores (2), plerumque adunati in collegia (3), quorumque munia perspicere difficilius est.

dius, p. 41, n. 3, adjungendi sunt tituli 32^{b}, 147, 346, 297, in libro Lanciani (*Silloge epigraphica*) :

— Imp. Caes. Hadriani aug. sub cura proc. patri.

— Imp. Caes. New. Trai... sub cura procurator. patrimoni.

— Imp. Antonini... sub cur. proc. stat. patr.

— Imp. Antonini aug. pii stationis patrimoni sub cura Dioscori. Animadvertit Hirchsfeldius multos procuratores, qui tantummodo *procuratores Augusti* vocantur, inter procuratores patrimonii numerari debere, exemplo innisus Domitii Lemni qui nunc (Murat., 698, 4) *procur(ator) Germanici Caesaris*, nunc proc. patrimoni et hered(itatium) vocatur. Hanc opinionem aliis exemplis confirmo; in fistularum enim plumbearum titulis collectis a Lancianio, et ad imperatorias domus vel hortos pertinentibus, *procurator Augusti* non alius esse potest quam procurator patrimonii, quum in multis titulis procurator patrimonii nominetur; sic n° 60^{b} :

— Imp. Caes. traian. hadrian. aug. sub cur. petron. surae. proc. aug. cl. felix. fec.

— N° 142 : « Imp. Caes. Hadriani Antonini... sub cura porci potiti proc. ann. sympo. f. »

— N° 157^{a} : « Imp. domitiani Caesar... sub cura Entychil. proc. fec. hymnus... »

— N° 446 : « Imp. Caes. traian. hadriani... sub cura restituti. aug. lib. proc. »

(1) Sunt enim adhuc sub Hadriano (Lanciani, *Silloge*, n° 446) et post eum (Wilm., 1285) liberti, sed pauci, procuratores patrimonii.

(2) Orelli, 3205, 3353. *C. I. L.*, VI, 2, 8505. *C. I. L.*, VI, 8503 (subsequens a comm(entariis) rati(onis) patrim(onii). 8506 = V, 41; X, 6093 = *Bollett. Municip.*, 1878, p. 102, n° 21 : « Verna dispensator. »

(3) Henzen, 6079 : « Cultoribus Larum Aug. rationis patrimoni. » No-

Stationem illam patrimonii sumptibus aulae imperatoriae magna ex parte providisse, aedificiisque publicis, hortis, palatiis, horreis, cellis, vinariis aliisque eius modi operibus praefuisse apparet (1); ad quam etiam pertinuisse crediderim multa praedia domusque Romae vicinas, ubi *stationis urbanae* memoria servatur (2).

An vero omnibus aliis Italiae praediis stationibusque quasi caput praefuerit, in dubio est relinquendum. Imo, contra Hirschfeldium crediderim potius stationes varias Italici patrimonii fisco paruisse, quum ille procurator patrimonii Romae positus in mediocri loco semper permaneat et tertio seculo statio ipsa Romana dissolvi et cum fisco confundi videatur.

Obscurior est diversarum stationum conditio; villae tamen cuique eosdem fere fuisse ministros quam stationi urbanae comperimus : tabularios, nempe, dispensatores.

Suos habent praedia et saltus procuratores, et ad patrimonium pertinere videntur quicumque tantum *procuratores Augusti* vocantur : multi liberti, plerique centenarii, a villicis, exactoribus, actoribusque adiuti, tum fundo unico, ut saltui Domitiano, praediis Maecianis, tum pluribus territoriis in unam

vimus *collegium salutare* libertorum qui praediis Galbanis addicti erant » (*Bollett. dell' Istit.*, 1885, cum Henzenii commentario).

(1) Cf. Lanciani, *Silloge*, nos 18, 49, 60, 142, 147, 183, 184 = *C. I. L.*, VI, 2, 8504 : « T. Fl(avio) Paederot(i) superposito medicorum ex ratione patrimoni. »

(2) Lanciani, l. c., n° 242-44, 393.

administrationem compositis praesidentes, ut *regioni Calabricae* (1), per Apuliam et Calabriam, tractuive Campano, a Caieta ad Tarracinam porrecto, vel Polensi territorio (2) ubi magna praedia et forsan statio propria fuisse videtur.

In provinciis autem multa in primis de Africa et Aegypto innotuerunt.

Africa enim quasi patrimonio addicta fuerat ex quo Neroni obtigerat hereditas sex illorum dominorum qui semissem Africae possidebant (3). Testis est Frontinus (4) frequentes fuisse controversias inter Caesarem et urbium ordines qui munera praediis indicere, aut vecturas vel copias devehendas iubere aut tirones ex vicis legere vellent. Quae omnia pulcherrimo illo titulo saltus Burunitani confirmata sunt (5), de quo infra loquemur.

Hoc vero Africanum patrimonium, seu ab initio, seu prout praedia acquirerentur, in partes quasdam

(1) *C. I. L.*, X, 1795 : « Procurator regionis Calabricae. »

(2) *C. I. L.*, V, p. 3, n^{os} 12, 37, 38, 39, 41, 42, 43.

(3) Plin., *H. N.*, 18, 6, 35.

(4) P. 53 : « Habent autem in saltibus privati non exiguum populum plebeium et vicos circa villam in modum munitionum. Tum res publicae controversias de iure territorii solent movere quod aut indicere munera dicant oportere in ea parte soli, aut legere tironem ex vico aut vecturas aut copias devehendas indicere eis locis quae loca res publicae adserere conantur. Eiusmodi lites non tantum cum privatis hominibus habent, sed et plerumque cum Caesare qui in provincia non exiguum possidet. »

(5) Cf. *Hermes*, XV, ubi inest titulus cum Mommsenii commentatione. Esmein, *Mélanges*, *Les colons du Saltus Burunitanus*. Fustel de Coulanges, *Recherches sur quelques problèmes d'histoire, le Colonat*, p. 31-43; *C. I. L.*, VIII, 10570.

divisum erat, quae diversis nominibus vocabantur (1), *tractus*, *praedia saltuum*, *regionem*, *dioecesim regionis*, *provinciam;* neque cum aliis administrationis divisionibus congruebant. Sic audimus de tractu Hadrumetino (2), de tractu Karthaginiensi (3) de tractu Hipponiensi et Thevestino (4), cui forsitan adhaerebat saltus Massipianus (5), de territorio Numidiae extra quod remanebat Numidia proconsularis agerque Thevestinus (6).

Parti cuique praeerat procurator vel procurator Augusti, aliquando libertus, sed plerumque equestri ordine, centenarius et a fine secundi seculi nomine *egregii* decoratus, vir magnae dignitatis, quippe qui inde ad gradum procuratoris provinciae statim proveheretur. Adiutores habebat tabularios et praepositos fundo cuique procuratores secundi ordinis, et servos saltuarios (7).

Cui parerent omnes illi procuratores, parum liquet; eos tamen in unaquaque provincia procuratori provinciae obedire verisimile est. Coniecturam illam reiicit Mommsenius ea opinione ductus ut res fisci a rebus patrimonii iam in secundo seculo imperatores separare voluerint. In titulo tamen Burunitano colonorum querela ad imperatorem a *procuratore a ratio-*

(1) *C. I. L.*, VIII, praef.
(2) VIII, 7039.
(3) *Ibid.*, 1269, 1578; VI, 8608. Herodian., VII, 4, 2.
(4) VIII, 5351, 7053, 7039; VI, 790.
(5) VIII, 578, 587.
(6) VIII, praef., p. XVII.
(7) VIII, 5383.

nibus transmittitur, ita ut a patrimonii cura fiscus nondum remotus fuisse videatur; imo procuratorem provinciae Callistratus monet ut praedia imperatoris tueri debeat (1) et in titulo quodam Hispaniae (2) procurator provinciae duas arcas administrat, alteram propriam fisci, alteram patrimonii, cui adiuncti sunt vicarius et dispensator. Habemus etiam procuratorem provinciae Numidiae vices agentem procuratoris tractus Thevestini (3) : unde apparet fieri potuisse ut diversi procuratores patrimonii procuratori provinciae subiicerentur.

In Ægypto (4) praeter fiscum alteram arcam patrimonii habemus, cuius varia nomina sunt : ἴδιος λόγος, Καίσαρος λόγος, κυριακὴ ψῆφος; neque enim cum Boeckio (5) putandum est duas arcas iis nominibus designari. Patrimonio huic praeerat *idiologus* (6), sub quo reperimus procuratorem Alexandriae ad rationes patrimonii (7), procuratores usiacos (8), ἐπιτρόπους τοῦ κυριοῦ (9) : utrum autem ad fiscum an ad patrimonium pertineat procurator Augusti septem nomorum et Arsinoitae (10) incertum est.

(1) Dig., I, 19, 3.
(2) *C. I. L.*, II, 1198.
(3) VIII, 7053.
(4) Strab., XVII, p. 797. Tacit. *Ann.*, III, 25, 28. Plin. *Paneg.*, 36.
(5) *C. I. Gr.*, III.
(6) Strab., l. c. *C. I. G.*, III, 4957 : « ὁ γνώμων τοῦ ἰδίου λόγου — ὁ πρὸς τῷ ἰδίῳ λόγῳ τεταγμένος. »
(7) Fabretti, 198, 482.
(8) *C. I. L.*, III, 53.
(9) *C. I. Gr.*, 5957, 4747.
(10) Orelli, 516.

IV. Veniamus ad *rationem privatam*, quae quanti momenti iam primum fuerit, monstrat gradus procuratoris *rei privatae* qui trecenarius est. Ex hoc munere Macrinus ad praefecturam praetorii, Felicianus ad praefecturam vigilum provehitur (1). In tertio seculo procurator ille, mutato nomine, vocatur tum magister rei summae privatae, tum magister summae rationis privatae, tum denique magister rei privatae usque ad primos annos seculi quarti (2).

Hunc igitur Romanae stationi praesse, adiutum a dispensatore rationis privatae, ab adiutore tabularii rationis privatae comperimus (3).

Ex aliis autem rationis privatae praediis in Italia constant dioeceses quaedam quae cum nulla alia territoriorum divisione congruunt; una *per Tusciam et Picenum* (4); alia per *Salariam*, *Tiburtinam*, *Valeriam*, *Tusciam* (5); alia per *Flaminiam*, *Umbriam*, *Picenum* (6); alia *regionis Ariminensium* (7); alia διὰ Φλαμινίας Αἰμιλίας Λιγυρίας (8), ad quam forsi-

(1) Wilm., 1208, *Vita Macrini*, c. 2, 7. Wilm., 1295.

(2) *C. I. L.*, VI, 1630 (mag. summae rat. priv.). Ad annum 314 vocatur *magister privatae* (Edictum Constantini in Murat., 581, 1. Haenel, C. Th., IX, 9). In titulo Caelii Saturnini, qui inter 323 et 337 descriptus est, vocatur *rationalis privatae*. Sed in codice Theodosiano ad annos 319 et 326, adhuc *magistri privatae* rei nominantur (X, 1, 2; XII, 1, 14).

(3) *C. I. L.*, IX, 1131 (disp. Augg. ration. privatae); VI, 2, 8510 : « Aug. lib. adiut. tabular. rat. privatae. »

(4) *C. I. L.*, III, 1464 : « Proc. stat. priv. per Tusciam et Picenum. »

(5) Wilm., 1295.

(6) *Ibid.* : « Proc. per Flaminiam Umbriam Picenum. »

(7) Wilm., 1291.

(8) *C. I. G.*, 6771 : « ἐπιτρόπῳ πρειουάτης διὰ Φλαμινίας Αἰμυλ(ίας) Λιγυρίας. »

tan pertinet titulus Genuensis *dispensatoris rationis privatae* (1), nec non et Pertinacis praedia ad vada Sabatia ; alia *regionis Padanae Vercellensium Ravennatium* (2) : quarum omnium limites cum temporibus mutatas esse videmus. Ex gradu procuratoris Ariminensis permagna fuisse hac in parte praedia apparet, quae forsitan ex patrimonio venerant.

Inter provinciarum praedia diœcesem magnam tantum novimus in Mauritania Sitifensi ubi antiquas Pertinacis uxorisque Hadriani Matidiae possessiones distinguimus (3), ex patrimonio scilicet in rationem privatam translatas.

Ad rationem privatam adhuc pertinent aliqui tertii seculi procuratores, *ab bona Plautiani*, *ab bona damnatorum*, *ad bona cogenda in Africa*, quos cito esse sublatos probabile est.

(1) *C. I. L.*, V, 7752.

(2) *C. I. L.*, V, 2385 : « Herma. augg. verna disp. region. padan. vercellensium ravennatium. »

(3) *C. I. L.*, VIII, 8425 : « Pro salute imp. Helvi Pertinacis coloni domini nostri caput saltus horreorum Pardalari... »

8701 : « Imp. Caesar M. Aurelius Severus Alexander... muros kastelli Diancsis extruxit per colonos eiusdem kastelli... »

8777 : « Pro salute Gordiani murus constitutus est a solo a colonis eius castelli Cellensis. »

8426 : « Imp. Caes. M. Aurelio Severo Antonino pio coloni caput saltus horreorum et kalefacelenses pardalarienses aram... »

8812 : « Imp. Caes. M. Aurelio Severo Alexandro... terminationes agrorum defenitionis Matidiae adsignantur colonis kasturrensibus iussu viri egregii Axi Aeliani procurat. Aug. rationis privatae... » (De Matidia vide Renierum, *Rev. archéol.*, 1864).

CAPUT NONUM.

DE PRAEDIORUM CULTURA LOCATIONIBUSQUE TEMPORARIA ET PERPETUA.

Oportet nunc intremus in praedia, colendi, locandi, conducendique genera inspecturi; quibus nihil maioris momenti reperias. Hinc enim antiqui agri publici praediorumque municipalium regulas ager imperatorius imitatus est; illinc etiam se privatis possessoribus urbibusque et Ecclesiis imitandum praebuit, ita ut in stabiliendis agriculturae agricolarumque condicionibus non modo in praesens sed etiam in futurum tempus ipsumque medium aevum multum contulerit.

Iisdem privilegiis muniebatur quae olim agro publico competebant; neque alienari neque in commercium mitti sine iussu principis (1), neque usucapi poterat (2).

Si qua terrae portio beneficio concessa aut quo-

(1) Dig., XXX, 39, § 8-10.
(2) Dig., VI, 2, 12, § 2-4; XLI, 3, 9.

cumque modo assignata esset, *libro beneficiorum* statim inscribebatur (1).

Duo autem praecipuos colendi modos reperimus.

I. Culturam quam vocaverim dominicam, per familiae rusticae servos, quam apud veteres Romanos saepius esse adhibitam constat. Non dubium est quin etiam in praediis imperatoris locum invenerit. Erat enim in fundis Galbanis (2) *plebs* servorum cum *villicis* et saepius praepositos fuisse servis villicos vel saltuarios vel actores videmus.

Animadvertendum tamen hoc colendi genus in diem magis decrescere, quum ut privatis, ita et imperatoribus melius visum fuerit parvas agri portiones vel separatum agellum servo fruendum concedere familiaeque servi et heredibus quasi proprium sub certa pensione relinquere ita ut et suos praedia imperatoria *casatos* servos haberent. Neque obliviscamur multos fuisse servos praediis addictos qui instrumento fundi continerentur conductoribusque una cum gleba transmitterentur.

II. Varia conductionis genera sunt quae haud facile distinguas. Hic oportet ut ad bona civitatum et templorum recurramus. Iis scilicet quod vocatur *ius in agro vectigali* adhibitum esse constat et in Digestorum fragmentis agri vectigales plerumque ad templa civitatesque pertinent (3). Eae autem praecipuae sunt

(1) Agrimensores, p. 202, 5 ; 202, 16 ; 295, 12 ; 400, 12.

(2) Vide supra.

(3) Dig., VI, 3, 1 (Paul.) : « Agri civitatium alii vectigales vocantur, alii non. Vectigales vocantur qui in perpetuum locantur, id est hac

conductionis huius regulae agri locantur alii in perpetuum, alii per singula lustra, alii in plures vel centenos annos (1), sed mox conductioni perpetuae nomen *agri vectigalis* reservatum esse Paulus indicat. Eae sunt communes conductionibus temporariae perpetuaeque leges, quod conductores, mancipes *tributum* quantum coniicere licet, saltem in provinciis, solvere et fideiussores cautionesque praestare debeant (2).

Sed hoc est proprium perpetuae conductionis quod in conductorem quasi totam rei proprietatem conferat. Praeter enim vectigal, seu in argento, seu in specie annonaria pendendum (3), servat sibi respublica tantummodo *dominium quoddam ex iure Quiritium* et ius retrahendae possessionis, nisi tempore iusto vectigal solutum fuerit (4); unde disputabant

lege ut quamdiu pro his vectigal pendatur, tamdiu neque ipsis qui conduxerint, neque his qui in locum eorum successerunt, auferri eos liceat. Non vectigales sunt qui ita colendi dantur ut privatim agros nostros colendos dare solemus... » Cf. Gaii, Inst., III, 145. Dig., XXXIX, 4, 11, § 1.

(1) Dig., VI, 3, 1. Hygin., p. 116. Sicul. Flacc., p. 162.

(2) In plerisque civitatibus non civitatem ipsam sed conductores tributo obnoxios esse coniicio ex Dig., XXVI, 7, 32, § 6 : « Cum esset in civitate in qua usitatum erat ipsos dominos praediorum non conductores onera annonarum et contributionum temporariarum sustinere. »

— De cautionibus agit Lex Malacit. C. LXIII. Schol. Bobiens. in Orat. pro Flacco (Orelli, II, 244). — Cf. Dig., L, 8, 3, § 1.

(3) Hygin., p. 205.

(4) Dig., XXX, 71, § 5-6; XXXIX, 2, 15, § 26-27. Gaii, Inst., III, § 145. Dig., VI, 3, 1, pr. — Multi, inter quos Garsonnet (*Histoire des locations perpétuelles*, p. 107), contendunt post *duos* annos retrahi possessionem vectigali non soluto ; sed hoc spatium duorum annorum, in locationibus privatis concessum (Dig., XIX, 2, 54, §§ 1 et 56),

iurisconsulti romani utrum in hac re emptio et venditio an locatio et conductio contraheretur et magis placebat locationem conductionemque esse (1). Sed re ipsa vere dominum possessionis fuisse conductorem perpetuum fatebimur qui eam alienare etiam vivus pignorique dare, in usumfructum constituere sibique per interdictum de *loco publico fruendo* vindicare posset (2).

Nunc autem inspiciamus an illa locationis genera in agris imperatoriis occurrant.

I. Primum locationis temporariae multa sunt vestigia : in Digestis saepe videmus fundos fiscales per annos quinque conductoribus locatos, qui cautiones, fideiussores et bona propria pignori dare deberent, qui possessionem suam iterum pluribus locare possent. Removebantur a conductione minores viginti quinque annis ne adversus praediorum utilitatem aetatis beneficio uterentur, tutoresque, qui nondum rationes officii sui reddidissent (3). Mori pessimo retinendorum post tempus expletum conductorum, si tantidem agri locari non potuissent, obstat Hadriani rescriptum (4).

ad conductiones municipales pertinere nullo argumento probatur.

(1) Gai, Inst., III, 145.

(2) Dig., VI, 3, 1 pr. ; XIII, 7, 16, § 2; VII, 4, 1 pr. ; VI, 2, 12, § 2; VI, 3, 1, § 1 ; XLIII, 9, 1, § 1.

(3) Dig., XLIX, 14, 3, § 6; 47, § 1; 45, p. 13 et 14 ; XIX, 2, 49. — C. Iust., VI, 50, 4.

(4) Dig., XLIX, 14, 3, § 6 : « *Valde inhumanus mos est iste, quo retinentur conductores vectigalium publicorum et agrorum, si tantidem locari non possint; nam et facilius invenientur conduc-*

Conductores esse vel privatos vel publicanos constat. Sub Vespasiano apparent adhuc in pascuis scripturarii et publicani in Dacia, in Cyrenaica (1). Utrum publicani sint an privati conductores gregum oviaricorum in titulo Saepinensi nominati, incertum est; ad publicanorum autem societatem pertinere conductores saltus Burunitani probavit Mommsenius: fieri potuit ut in immensis Africae saltibus publicani diutius ac alibi, ob culturae necessitates permanserint. Nusquam tamen apparent in praediis post Diocletianum.

Temporaria autem conductio adhuc in Pauli fragmentis (2), in titulo saltus Burunitani, sub Commodo positi, aliisque locis invenitur neque post Diocletianum deficiet. Conductores enim temporarii sunt omnes illi *coloni Caesaris*, in Digestis saepissime nominati, de quibus controversia est utrum, propter fisci utilitatem, muneribus municipalibus fungi debeant annon; et adhuc Constantio regnante genus illud conductionis « *ius colonatus* » vocabitur (3). Sed fa-

tores si scierint fore ut si peracto lustro discedere voluerint, non teneantur. » Hic animadvertendum est in hoc titulo Digestorum *de iure fisci* (XLIX, 14) non tantum, ut olim, ad bona municipalia, sed etiam ad bona fiscalia verbum *publicus* pertinere.

(1) Plin., *H. N.*, 19, 3, 39; *C. I. L.*, III, 1363.

(2) Dig., XLIX, 14, 45, § 13-14.

(3) Dig., L, 6, 5, § 11 : « Coloni quoque Caesaris a muneribus liberantur ut idoniores praediis fiscalibus habeantur. » — L, 1, 38, § 1 : « Item rescripserunt colonos praediorum fisci muneribus fungi sine damno fisci oportere. » — C. Iust., V, 62, 8 : « Coloni (id est conductores) praediorum ad fiscum pertinentium (225) ». Hic igitur recte verba » *id est conductores* » Tribonianus inseruit. — C. Th., XII, 1, 33

tendum est magis atque magis conductionem ex temporaria perpetuam fieri.

II. Conductionis perpetuae, in plenissima luce post Diocletianum positae origo latet. Nonnulla tamen eius vestigia etiam in nostro tempore recolligere possumus.

Non assentior Marquardtio de bonis fiscalibus agi credenti in hoc Pauli fragmento (1) : « *Agri publici qui in perpetuum locantur a curatore sine auctoritate principali revocari non possunt.* » Quamvis enim aliquando in Digestis *agri publici* ad fiscum pertineant, tamen hic bona municipalia intelligi liquet, quoniam agitur de *curatore civitatis*, qui quamquam in administrando rei publicae reditu summam potestatem exerceat, interdum tamen consensu principis eget.

Non tamen dubium est quin ante Diocletiani tempora in praediis imperatoriis conductio perpetua exstiterit. Quod ad probandum, varia nobis suppetunt argumenta.

(342) : « *Ut privilegia rei privatae nostrae* COLONATUS IURE *sectantes, curialium nominationes declinent.* » Novam interpretationem eius legis, quam excogitavit Fustel de Coulanges (*Le colonat romain*, p. 105, note 2), accipere nolo. Hic enim de *colonis ascripticiis* agi putat, ego de *conductoribus temporariis*. Haec mea sunt argumenta :

1° Quis putet homines ultra quam viginti quinque iugera possidentes, ultro ad conditionem colonorum ascriptitiorum in fundis imperatoriis descendere ?

2° Constantius non prohibet ne possessores isti fundos fiscales tractent, sed eos curiales nominari iubet ; ergo possunt simul et curiales et *coloni fisci* esse. Quum autem nemo simul esse curialis et *colonus ascripticius* possit, sequitur ut isti possessores non coloni ascripticii, sed *coloni temporarii*, id est *conductores* sint.

(1) Dig., XXXIX, 4, 11, § 1.

I. Habemus exemplum fundorum privatorum quibus in secundo iam seculo conductionem perpetuam aliquando adhibitam esse credimus, quamvis res subobscura amplioribus adhuc egeat documentis. Legimus in Scaevolae fragmento (1) : « *lex vectigali fundo dicta erat ut si post certum temporis vectigal solutum non esset, is fundus ad dominum redeat.* » Ex verbo *dominus* iterum repetito, de privato possessore, non de municipio agi constat.

Idem sensus est alius Scaevolae fragmenti, ubi primum fundum quemdam creditori a colono obligatum fuisse, deinde a conductore saltus illius, in quo contineretur, ob fiscale debitum, venditum esse legimus (2). A colono autem fundum obligari non potuisse patet, nisi perpetuarius fuisset.

Imo habemus Gordiani constitutionem, his verbis conspicuam : « *sive perpetua conductio est, etiam ad heredes transmittitur*, » quae ad privatam conductionem debent referri (3).

Originem vero huius conductionis haud facile perspicias neque apparet quemadmodum ex iure municipali ad ius privatum translata fuerit. Attamen hinc agrorum municipalium conductionem exemplo fuisse

(1) Dig., XX, 1, 31.

(2) Dig., XIX, 1, 52 : « Creditor fundum sibi obligatum cuius chirographa tributorum a debitore retro solutorum apud se deposita habebat, vendidit Maevio ea lege ut si quid tributorum nomine debitum esset, emptor solveret : idem fundus ob causam eorum tributorum, quae iam soluta erant, a *conductore saltus*, in quo idem fundus est, venit... »

(3) C. Iust., IV, 65, 10.

patet; illinc novae quaedam obtinuerant iuris regulae et consuetudines.

A. Inter eas usum *tacitae reconductionis* potissimum novimus (1). Commodius scilicet visum fuerat colono fundum relinqui post tempus conductionis sine novo contractu, tacito quodam possessoris consensu, ita ut eadem colonorum indigenarum familia (2) in eodem fundo, tanquem in paterna possessione, per plurimos annos assiduo continuaretur, secundum praeceptum Columellae (3) cui hoc colendi genus servili cultura potior videbatur.

B. Alio modo perpetuam fieri potuisse conductionem Demantius (4) perspexit, scilicet per *precarii rogationem* quae conductori eiusque heredibus non ex contractu sed solum ex consensu possessoris spem quandam perpetuitatis offerret. Quoties haec forma, utrique parti commoda adhiberetur, monstrant quinti et quarti seculi, imo et iam tertii (5), constitutiones

(1) Hunc usum optime demonstravit illustravitque Fustel de Coulanges (*Etudes sur quelques points d'histoire ; Le Colonat*). — Cf. C. Iust., IV, 65, 16. Dig., XIX, 2, 14.

(2) Colonorum istius generis titulos aliquos collegit Mommsen (*Hermès*, 1880, p. 385-411). *C. I. L.*, IX, 3674; X, 1918; X, 1877). Orelli, 4644.

(3) De re rustica, III, 7 : « Ipse nostra memoria veterem consularem... audivi patrem familias felicissimum esse qui colonos indigenas haberet et tanquam in paterna possessione natos iam inde a cunabulis longa familiaritate retineret... Ita certe mea fert opinio rem malam esse frequentem locationem fundi... propter quod operam dandam esse ut rusticos et eosdem assiduos colonos retineamus. »

(4) Demante : *Des précaires ecclésiastiques dans leurs rapports avec les sources du droit romain* (*Revue historique du droit français et étranger*, VI, 1860, p. 51.

(5) C. Iust., VII, 39, 2 (356); VII, 30, 1 (226) : « Qui ex conducto

in quibus conductores per rogationem precarii tamdiu in praediis mansisse comperimus ut ius sibi proprietatis usurparent et veri domini imperatoris auxilium invocare deberent ne aut amittere quod locavissent, aut conductores sibi utiles excludere aut annis omnibus super dominio suo publice protestari cogerentur.

C. Fieri etiam proterat ut conductor qui aes alienum contraxisset, neque pensionem praestare posset, a domino invitus et quasi nexus ad colendum fundum in perpetuum retineretur (1); neque desunt emissa ab imperatoribus ad prohibendum hunc morem rescripta (2).

Conductionem igitur perpetuam iam tertio seculo in privatorum fundis adhibitam fuisse constat. Hoc tamen, ab historicis omissum, animadvertendum est duo fuisse conductorum genera, maiorum et minorum; hi enim particulam fundi, illi totum fundum vel saltum conducere solebant; hi potius coloni (3), illi

possidet, quamvis corporaliter teneat, non tamen sibi sed domino rei creditur possidere; neque enim colono vel conductori praediorum longae possessionis praescriptio quaeritur. »

(1) Hoc etiam, demonstravit Fustel de Coulanges (l. c.), qui hunc usum Columellae verbis illustrat (1, 3) : « Qui possident fines gentium quos ne circumire equis quidem valent sed proculcandos et pecudibus vastandos ac populandos feris derelinquunt aut occupatos *nexu civium* et ergastulis tenent. »

(2) C. Iust., IV, 65, 11. Dig., XLIX, 14, 3 § 6.

(3) Dig., XIX, 2, 14; XXXII, 91 ; XLVI, 1, 52; XXXIII, 7, 20, §§ 1-3, XLVII, 2, 26 ; XXXII, 27 § 2; 78 § 3; XXIV, 3, 7 § 3. — *Frag. Vatic.*, 44. Gaii Inst., IV, 147; IV, 153.

conductores vocantur (1); inde praedia plerumque ex duabus partibus constant, altera in particulas et sortes divisa, quae colonis minoribus elocantur, altera quae vel per familiam rusticam, fide, ut dicitur dominica, tractatur, vel maiori conductori traditur. Sed ex perpetua conductione non eamdem conditionem maiori conductori et minori colono proventuram esse facile providemus; hic enim, ut pote mediocris et pauper, glebae alligabitur ad servilem prope statum redactus; ille autem, dives, potens, emphyteuticarius conductor fiet, quem videbimus.

Quidquid tamen de hac re sentiendum est, iuste miraremur si conductio perpetua, a privatis possessoribus adhibita, a fundis fiscalibus aliena fuisset.

II. Ius perpetuarium, quod post Diocletianum in fundis fiscalibus reperitur, non quasi novum, sed quasi iam vetustissimum et consuetudine firmatum describitur: unde etiam ante Diocletianum hoc natum esse probe coniicimus.

III. *Ius in agro vectigali*, id est, conductionem perpetuam *subsicivis*, parti quidem haud exiguam fundorum fiscalium adhibitam esse comperimus (2), et inde ad alia praedia transiisse probabile est : nonne

(1) Vide supra, n. 2, p. 57, ubi fundus, ut probabile est, colono, saltum autem conductori elocatur.

(2) Hygin., 117, 11-15 : « *Qui superfuerant agri, vectigâlibus subiecti sunt, alii per annos..., alii vero mancipibus ementibus, id est conducentibus, in annos centenos. Plures vero finito illo tempore iterum veneunt locanturque ita ut vectigalibus est consuetudo.* » Quum subsiciva iisdem modis ac vectigales agri locentur, valde igitur probabile est ea et in perpetuum locari.

in rescripto Diocletiani ad annum 293 haec legimus : « *etiam vectigale vel patrimoniale sive emphyteuticum praedium sine decreto praesidis distrahi non licet* (1). Verba « *sive emphyteuticum* » ut a Triboniano inserta reiiciamus, quamvis non sit mediocris illius iuris consulti auctoritas qui iam sub initiis Diocletiani praedia patrimonialia conditione emphyteutica vel perpetuaria usa esse putaverit : sed hoc certum est Diocletiano praedia vectigalia civitatum et patrimonialia imperatoris similia videri : ita ut utrisque eamdem fuisse conditionem, nempe perpetuariam, iure coniiciamus.

IV. Constat hodie quam multa sub imperatoribus ex Aegypto ad orbem romanum administrandum exempla profluxerint, quod antiqui auctores, ut Tacitus (2), iam senserant; exemplum enim Aegypti, si Tacito credendum, Claudius retulerat quum a senatu procuratoribus suis iurisdictionem, hactenus magistratibus antiquis reservatam, peteret.

Multa autem et gravissima, de fundorum imperatoriorum administratione, in edicto Tiberii Alexandri (3) reperimus : inter alia mos pessimus supprimitur, qui invaluerat ut fiscalium fundorum locatio (μισθώσεις οὐσιακαί) etiam invitis colonis imponeretur : unde magnum fisco privatisque detrimentum proveniebat. Alii praeterea generi exactionis Tiberius

(1) C. Iust., V, 71, 13.

(2) Tacit., *Ann.*, XII, 60.

(3) *C. I. Gr.*, III, 4957. Vide commentationem Rudorffii de hoc titulo (*Rheinisches Museum*, II, 1828).

occurrit, ne, qui emptarum a fisco possessionum pretium solvissent, pro eis, praeter solitum tributum, adhuc vectigal quoddam (ἐκφόρια) praestare cogerentur quasi non privati, sed coloni Caesaris essent (νεωργοὶ δημοσίοι). Inde igitur apparet duo fuisse hominum genera in Aegyptiacis Caesaris fundis : hinc conductores temporales (μισθωτάς) qui post locationis tempus, abire liberi possent ; illinc colonos (γεωργοί) glebae quasi addictos qui vectigal perpetuum (ἐκφόριον) penderent ; hos vero Rudorffius iure coniecit eosdem esse ac istos agricolas qui apud Herodotum et Diodorum terram veris possessoribus (γεωμοροί) colunt, in iisdem fundis assidui, glebaeque adhaerentes, debita certa pensione, eodemque modo habiti ac antiqui Thessaliae Macedoniaeque πένεσται diversaque omnium Graeciae partium περιοικῶν genera. Fieri potuit ut fundi cuiusque pars altera magno conductori, altera parvis colonis reservaretur ; utcumque tamen se res habuit exemplum illius perpetuae conductionis ex Aegypto ad alias imperii regiones manavisse pro certo habeamus.

V. De Africano agro habemus pretiosissimum documentum, titulum quo iam usi sumus, Burunitani, saltus, cui explanando plures iique praestantiores viri (1) acumen ingenii iam admoverunt quam ut de integro materiem tractemus.

(1) Mommsen, l. c. Fustel de Coulanges, l. c. Esmein, l. c. — Adde *Ephem. epigr.*, V, fasc. 3, 4, n° 471 : Titulum Ain-Zaga repertum, in parte quadam, ut videtur, saltus Barunitani, et in quo nominantur alii procuratores. N° 465 titulum eiusdem generis, in quo easdem querelas coloni imperatori Commodo dirigunt ; hoc eis con-

Similis erat saltus Burunitanus iis saltibus qui, Frontino teste (1), civitatum territoriis maiores, populum plebeium habebant, ubi « *vicos circa villam* » reperisses, quasi pagos circa civitatem et saepius ad defendendam regionem dispositos munitosque : quos etiam apud Ammianum Marcellinum (2) in modum urbis exstructos muroque circumdatos videre est. In multis titulis apparet etiam nomen *kastellum* (3) : ita ut coniecturae Mommsenii apud Frontinum pro verbo *munitionum municipiorum* scribentis assentiri non ausim.

Hunc autem saltum habitabant coloni, quos etiamsi missa ad imperatorem supplicatione de se ita loquerentur « *rustici tui, vernulae et alumni* », liberos tamen fuisse cum Mommsenio putem. Parebant enim magistro quem nomen ingenuum fuisse prodit multique civium romanorum nomine, decorantur; adde quod se domum reverti posse dicerent, ubi libere morarentur. Glebae tamen nihilominus adhaerere, quasi coloni hereditarii videbantur, quippe qui quanquam a procuratoribus conductoribusque crudeliter habiti, ex ista regione decedere ne in animo quidem haberent. Querelas solum mittebant ex diversis saltibus, quasi conspiratione facta, ad impera-

ceditur ut dehinc tantum aratorias IIII, sartorias IIII, messicias IIII praestent.

(1) Vide supra, n. 4, p. 46.

(2) Ammian., XXIX, 5, 13 : « Fundi Petrensis quem ... in modum urbis exstruxit. » 25 : « Fundum nomine Gaionatis muro circumdatum valido, receptaculum Maurorum tutissimum. »

(3) *C. I. L.*, VIII, 8701, 8777, 8369, 10570.

torem Commodum contra conductores qui consciis adiuvantibusqua procuratoribus, calcataque Hadriani lege, *partes agrarias* sibi debitas aut *operarum iugorumve praebitionem* ad libitum exigerent et amplius quam sex operas (binas aratorias, binas sartorias, binas messorias) deposcerent. Precibus eorum favisse imperatorem comperimus. Quemadmodum autem se habeant coloni erga conductores, ex eo quod supra diximus facile apparet. Non enim divisus est fundus in particulas parvis colonis attributas ita ut conductor tributa colonorum tantum exigeret, ut veteres publicani, partem fisco illaturus, partem sibi vel societati servaturus. Sed de fundo universo duae partes factae sunt, altera quae per particulas colonis distribueretur, altera qua vel a familia « fiscali vel a magno conductore coleretur. Hic vero et servis suis utitur et praestationes quasdam a colonis vicinis secundum legem expostulat (1). An etiam colonos pro pensionibus fisco debitis convenire debeat, ignoramus nec quidquam coniicere velim ex Digestorum fragmento (2), ubi totius fundi tributa conductori privato exigenda incumbunt. Forsitan tamen hae *partes agrariae* partem fructuum debitam pro canone significant (3); sic in constitutione anni 365 (4) in qua conductor

(1) Melius has praestationes cognosceremus nisi adeo mutilus esset titulus in *Ephem. epigr.*, V, 465 : « ... De communi re modios centum, singulos modios praestare... »

(2) Dig., XIX, 1, 52.

(3) Ut coniecit Fustel de Coulanges, l. c., ex C. Iust., XI, 48, 8.

(4) C. Th., V, 14, 4.

villam suscipit *cum ea dote vel forma cui nunc habetur obnoxia* hinc verbo *dote* fundi instrumentum designari, illinc verbum *forma*, ut solet, pro *forma censuali* poni, qua omnes praestationes, tributumque et canon significantur, apparet; recte igitur canonem a conductore exactum fuisse coniicias. Sed cavendum est ne colonos servos fuisse ex his partibus agrariis operisve coniiciamus; quas verius Mommsen conferendas esse putat (1) cum praestationibus quas possessores municipiis ad labores publicos et in primis ad vias reficiendas deberent. Easdem quoque adhuc in contractibus emphyteuticis septimi octavique seculi in Italia inveniri animadverto nec libertati colonorum emphyteuticorum nocere.

Quod ad ius spectat, nihil differunt coloni a conductoribus nisi quod hi honestiores, illi humiliores, hi potentes, illi mediocres, hi divites, illi pauperes sunt : utrique liberi. Sed si rem propius inspicias tantum differunt inter se quantum a servo ingenuus; conductor enim adhuc temporarius est, quoniam in titulo Burunitano *successionis vices* indicantur; colonus autem iam glebae adhaeret assiduus hereditariusque; ex quo tempore, nescimus; huius servitutis originem ex lege Hadriani, quam invocant coloni, repetere nolim, quippe qua pensiones praestationesque tantum constitutas esse probabilius sit. Vetustam esse potius consuetudinem crediderim, constitutam paulatim ad exemplum illius colonici iuris quod inde a

(1) Cf. *Lex Colon. genetiv.*, § 98.

Carthaginiensium tempore erga indigenas Africanorum saltuum exstitisse comperimus.

In peius etiam evaserat colonorum Africae conditio, quod plerumque extra fines civitatum positi non ordinariae magistratuum municipalium vel imperatoriorum auctoritati, sed soli procuratorum potestati submitterentur. Vidimus quae controversiae inter respublicas et fiscum de iure territorii moverentur. Sua est multis saltibus imago propria rei publicae, collegia sacra cum magistris sacerdotibusque qui magistratuum municipalium forsitan locum tenent; neque municipes neque pagani incolae vocantur, sed solum coloni Caesaris (1). Itaque in saltu Burunitano neque ad magistratus vicinae civitatis, neque ad praesidem querelas dirigunt, sed ad *procuratorem a rationibus* ipsumque imperatorem. Ceterum, in quantum crevisset iurisdictio fiscalium procuratorum a tempore Claudii comperimus (2), praesertim in saltibus illis quae, ut pacata atque quieta essent, solos procuratores gubernavisse, Callistrati fragmentum demonstrat (3); Paulus etiam monet et in fundis fiscalibus fugitivos quaeri et comprehendi posse (4), quo probatur fundos illos extra iudicum ordinariorum potestatem saepe stetisse.

Non tamen putandum est praedia haec omnia extra civitates poni; multa enim municipiis subiecta fuisse

(1) *C. I. L.*, VIII, 588, 8425, 8701, 8777, 8702, 8426, 8812.
(2) Vide commentationem nostram (*La juridiction fiscale*).
(3) Dig., I, 19, 3.
(4) Paul., *Sent.*, I, 6, 5.

apparet ex tabulis alimentariis et ipsa, quam vidimus, de muneribus municipalibus controversia et se ita res adhuc post Diocletianum habebit.

An etiam praeter vectigal et canonem praedia fiscalia tributum ordinarium debuerint, parum liquet : portoriis tamen exempta esse constat (1).

Tria igitur praecipua colendi genera in fiscalibus agris reperimus : 1° Familiae rusticae culturam quae tamen decrescere videatur ; 2° Locationem temporariam seu magnorum seu parvorum conductorum ; 3° Locationem perpetuam sive totius fundi ad agrorum municipalium subsicivorumque imitationem, sive particularum, ut in Aegypto et Africa : ex qua nascetur hinc emphyteusis, illinc colonorum censitorum conditio.

(1) Dig., XXXIX, 4, 9 § 8 : « Fiscus ab omnium vectigalium praestationibus immunis est : mercatores autem qui de fundis fiscalibus mercari consuerunt nullam immunitatem solvendi publici vectigalis usurpare possunt. »

PARS ALTERA

De agris nostris post Diocletianum.

CAPUT PRIMUM.

DE NOVIS PRAEDIORUM INCREMENTIS.

Veniamus ad Diocletiani aetatem quae pluribus documentis, sed iisdem obscurissimis illustratur.

Hoc primum apparet crescere ultra modum agros imperatorios ita ut orbem pene in proprietatem Augustorum cedere dixeris. Hae sunt praecipuae incrementi huius causae :

1° Quam dicimus *incorporationem*, valde paulatim mutatam esse constat. Hactenus enim pleraque eorum bonorum quae fisco vel ex confiscatione vel ex caducis vel alio modo proveniebant, distrahi solebant. Nunc vero ob miserias agriculturae, tributorumque pondus toties agri privati a possessoribus et in primis a curialibus relinquuntur ut, quae acquirat, fiscus sibi bona servare colendaque suscipere cogatur :

quod monstrat potissimum codicis Iustiniani titulus « *de bonis vacantibus et de incorporatione* (1). » Hoc etiam animadvertendum est bona haec vacantia vel deserta a fisco non nisi invito suscipi. Commodius enim videbatur imperatoribus ea civitatibus vel privatis possessoribus colenda relinquere : unde tam multas easdemque inutiles leges de *adiectione* praediorum habemus, ideo promulgatas ut agrorum desertorum etiam ab invitis tributa solverentur (2).

2° Nunquam tantis et tam multis confiscationibus territi sunt Romani quam in illis quarto quintoque seculis ubi rebelliones ex rebellionibus nascuntur : memorentur solummodo confiscationes quae Maxentii, Donati, Magnentii, Maximique et tot aliorum clades secutae sunt (3). Devoluta sunt ad fiscum immensa Stilichonis bona (4) ; tantae fuerant comitis Gildonis fortunae ut proprium administratorem iis comitem Gildoniaci patrimonii (5), in Notitia dignitatum nominatum, creare necesse fuisset. Idem Eutropio accidisse scimus (6). Hoc tamen est animadvertendum quam multa ex iis bonis, vix possessoribus erepta, ab imperatoribus, beneficii gratia, aliis concedi solerent, quum nihil commodius ad conciliandos sibi fau-

(1) C. Iust., X, 10.

(2) *De adiectione*, vide Gothofredi *Commentarios*. Zachariae, *Geschichte des Griechisch-Römischen Rechts*, § 58. Et commentationem nostram inscriptam : *Le partage oncial du* fundus *romain*.

(3) C. Th., X, 1, 1 (315) ; X, 8, 4 ; X, 10, 8 ; IV, 22, 3.

(4) C, Th., IX, 42, 20.

(5) C. Th., VII, 8, 7, cum Gothofredi notis.

(6) C. Th., IX, 42, 17.

tores (1) devinciendosque nobiles principes reperissent, nec tantum aliquam partem, ut olim bonorum sed tota ea per *competitionem* delatores acciperent (2). Saepe etiam haec bona non unicuique sed consortibus quibusdam *communi nomine* concessa fuisse legimus (3).

B. Iam inde a Constantino maiorem partem bonorum quae possiderent civitates et templa paganorum, fisco attributa esse comperimus : quod infra amplius exquiremus.

4° Ex aliis urbium vectigalibus, octavis scilicet, quadragesimis, ceterisque eius modi reditibus duae portiones ad patrimonium iam ab anno 375 deveniunt ita ut tertia tantum portio civitatibus servetur (4).

5° Non praetereundum puto genus quoddam singulare donationum imperatoribus factarum. Suas ab aliquibus fortunas legari principi, retento tamen per vitam usufructu, comperimus (5); sic in imperatorum aetate constat esse originem consuetudinis huius, ex qua postea saepissime donationes ecclesiis conferentur.

(1) C. Th., XV, 14, 10 : « Qui tyranni Maximi secuti iussionem fundos perpetui iuris non ab ordinariis iudicibus acceperunt. »

(2) C. Iust., VII, 37, 1 et 3 ; XI, 59, 11. C. Th., X, 8, 1-3 ; X, 9, 2 ; X, 10, 5, 6, 12 ; IX, 42, 17 et 23 ; V, 5, 1 ; IV, 13, 1. Symmach., *Ep.*, V, 66 (ed. Migne). *Novell. Anthem.*, 3.

(3) C. Th., X, 14, 1-2. Cf. Ammian., 31, 14.

(4) C. Th., IV, 12, 7. C. Iust., IV, 61, 13.

(5) *Nov. Valentinian.*, III, tit. X, 1, § 1 : « In hac sorte numerandis his quoque qui retento sibi usufructu proprietatem iuris sui venerabilium pignorum meorum vel pietatis meae domui contulerunt... »

Non obliviscendum est multos fundos ad limites imperii iam inde ab Alexandri tempore veteranis et barbaris quasi beneficia militaria concedi solere : *terris* autem illis *limitaneis*, *fundis limitrophis*, *fundis castellorum*, terris laeticis et praefecturis gentilium operam dare a proposito nostro alienum est, quum omnia praedia ista *cum pleno dominio* ad novos possessores transeant.

An vero barbari terras acceperint quasi *coloni imperatorii* parum liquet. Quam enim multi agris privatorum desertis seu sponte sua seu coacti insederint in documentis innumeris legimus. Sed, ut exemplo utamur, relinquit semper in dubio Ammianus Marcellinus utrum privatorum an imperatorum tributarii fierent omnes illi barbari quibus nihil antiquius erat quam ut « *tributariorum onera subirent et nomen* » (1) neque clariora testimonia afferunt alii scriptores ; sed quum multi agri vacantes in omnibus provinciis ad fiscum pertinerent, non dubium est quin et fundis imperatoriis barbaros coloniaria conditione assignatos

(1) Ammian., XIX, 11, 6. Cf. XXVIII, 5, 15 ; XVII, 3, 3 ; XXXI, 9, 4 ; XVII, 8, 3 ; XXXI, 4, 1. — Cf. Eutrop., IX, 15 : « *Ingentes captivorum copias in romanis finibus locaverunt.* » Trebell. Pollio., *Vita Claud.*, c. 8 : « *Impletae barbaris servis romanae provinciae ; factus colonus ex Gotho.* — Zosim., I, 46. Vopiscus Probus, c. 15 : « *Barbari vobis arant, vobis serunt.* » Eumen., *Pan. Constant.*, c. 21 : « *Receptus in leges Francus Nerviorum et Trevirorum arva iacentia excoluit ;* » c. 9 : « *Arat ergo mihi Chamavus et Frisius.* » Nazarius, *Pan. Constant.*, c. 17 : « *Ut loca culta redderent serviendo.* » C. Th., V, 4, 3. — Sozom., IX, 5. — Valde miror neminem huic difficultati offendisse.

fuisse credere debeamus, quod etiam Vopiscus in Aureliani vita probare videtur (1).

(1) C. 48 : « Etruriae agri sunt idque fertiles ac silvosi... Illic familias captivas constituere, vitibus montes conserere atque ex eo opere vinum dare ut nihil redituum fiscus acciperet. »

CAPUT SECUNDUM.

DE FUNDIS REI PRIVATAE FISCALIBUS PATRIMONIALIBUSQUE.

Inspiciendum est primum quid novi post Diocletianum in ordinandis bonis publicis reperiamus. Duo praecipua possessionum genera habemus : hinc bona rei publicae, *sacras largitiones*, illinc bona principum, rem privatam (1). Sed discrimen illud in facto male observatur, nec raro accidit ut duo aeraria misceantur reditusque varii nunc huic nunc illi assignentur (2).

Bona *rei privatae*, vel *privati patrimonii nostri* constant primum ex antiquis rei privatae praediis quibus accesserunt fundi civitatibus templisque erepti, confiscationes, bona caduca et vacantia (3) :

(1) Gallice dixeris : *biens de la Couronne.*

(2) Ad ann. 444, Theodosius II tertiam caducorum partem sacris largitionibus attribuit. Aliae constitutiones rei privatae partem portoriorum et tributi concedunt (Nov. Valentin., III, tit., §§ 1-3. Nov. Maiorian., 7, § 16).

(3) C. Th., XVI, 5; X, 10, 32; X, 1, 8; X, 3, 4 et 5; XV, 1, 41; XVI, 10, 19 § 2, 20 § 1. C. Iust., I, 2, 5. Cf. Gothofredi notas ad C. Th., X, 1, 8.

qui omnes reditus ex antiquo patrimonio ad rem privatam transierunt; sic in Hispania patrimonii procuratorem habemus quem ad *rationalem rei privatae per Hispanias* pertinere valde probabile est (1).

In re privata antiquos etiam fundos fiscales nunc plerosque contineri credo : quamvis enim in diversis locis codicum Theodosiani et Iustiniani ab illa distingui videantur (2), hoc certum est quod hinc sacris largitionibus tributa, illinc rei privatae fundi, cuiuscumque naturae essent, assignati sunt (3).

A re tamen privata, quasi ramus ab arbore, distinguenda est *domus divina*, quam ne confundas cum patrimonio quod Anastasius creaturus sit, cavendum est (4). In ea contineri etiam *praedia venerabilis substantiae* probabile est (5). Domui divinae, in quarto seculo creatae, et ad proprias principis impensas destinatae praerat *praepositus sacri cubiculi*, cum *curatoribus dominicae domus*, *comitibusque domorum*. In notitia dignitatum solus *comes domorum per Cappadociam* apparet (6), in qua regione amplissima erant praedia, templorum spoliis aucta (7), quae colebant

(1) C. Th., IX, 42, 3.

(2) XI, 68, *De agricolis et mancipiis dominicis vel fiscalibus sive rei privatae*. 71, *De locatione praediorum civilium vel fiscalium sive templorum sive rei privatae vel dominicae.*

(3) C. Iust., X, 10, 4 et 5; XI, 71, 1; XI, 73, l. un. ; VII, 13, 2. Nov. Martian., 2, § 1.

(4) C. Th., XI, 28, 9. C. Iust., III, 26, 2 et 11; VII, 38, 3; IX, 27, 5; VII, 37, 3.

(5) C. Iust., VII, 37, 3.

(6) Notit. Or., c. 10. Cf. C. Th., VI, 30, 2.

(7) C. Th., VI, 30, 2. Nov. Iustin., 30.

homines tamiaci, *tamiaci iuris*. Sed e *domo divina* ad rem privatam saepe fundi transeunt et vice versa (1); domusque divina tuitione comitis rei privatae iisdemque regulis ac alia praedia utitur (2). Imperatoris erat maxima pars provinciae Cappadociae, urbesque totae a tamiacis habitabantur, ita ut Iustiniani tempore proconsulem huic parti praeponere necesse fuerit qui simul tamiacis possessionibus totius Asiae praeesset.

E domo divina pendent domus Augustae puellarumque imperatoriarum, vel filiarum principis vel sororum (3).

Ad quod autem aerarium pertinent saepe nominati in codicibus *fundi patrimoniales* (4)? Nondum enim Anastasius novum suum patrimonium instituit.

Ea sunt antiqui patrimonii vestigia, quae autem nunc in re privata contineri videantur; quod enim ab ea interdum distinguantur, parum refert (5); nam in legibus codicum multa superesse scimus pristini temporis vestigia quae non ad tempus praesens attineant. Non autem desunt loci ubi fundos patrimo-

(1) C. Th., XI, 62, 4.

(2) C. Th., IX, 27, 5 : « Ubi in domo divina procurator, tabularius, susceptor, colonus adsunt. »

(3) C. Th., X, 25; XIII, 1, 21. C. Iust., VII, 37, 3. — Chron. Marcellin. ad an. 434 : « Honoria, Valentiniani soror ab Eugenio procuratore suo... »

(4) C. Th., X, 3, 1-2; XI, 1, 4; 10, 32; 16, 1, 2, 9, 17; 19, 1, 2, l. ult. — C. Iust., XI, 59, 17; 62, 1-14; 63, 64, 65, 66.

(5) Sic C. Iust., XI, 62 : « De fundis patrimonialibus et saltuensibus et emphyteuticis et eorum conductoribus; » 66 : « De fundis rei privatae et saltibus divinae domus. »

niales comes rei privatae administrat (1); imo in re privata enumerantur fundi perpetuarii, emphyteutici et patrimoniales (2). Alibi fundi patrimoniales perpetuariis elocantur (3), totumque ius perpetuarium a comite rei privatae regitur (4). Nunc igitur fundos patrimoniales ad rem privatam pertinere pro certo habeamus.

Fundos autem patrimoniales plerumque non alios esse ac fundos emphyteuticos probari potest. Agrum enim esse imperatoris verbum *patrimonialis* indicat; verbum autem *emphyteuticus* ad culturae genus refertur. Ita de fundis patrimonialibus emphyteuticisque simul igitur in his locis « *de collatione fundorum patrimonialium vel emphyteuticorum* » « qui praedia patrimonialia et emphyteutica (5). » Ita etiam in multis aliis locis fundos emphyteuticos esse patrimoniales videmus (6). Sed tamen fieri potest ut alio

(1) C. Th., V, 13, 19.

(2) Ibid., V, 14, 5 et 6.

(3) C. Th., XI, 16, 12 et 13, et 20; XI, 19, 4. C. Iust., X, 48, 10; XI, 71, 1.

(4) C. Th., I, 11 (De officio comitis rei privatae), l. 1. Cassiodor. *Var.*, VI, 8 (Formula comitivae privatarum) : « Habes quoque per provincias de perpetuario iure tributorum non minimam quantitatem. Canonicarios dirigis, possessores admones. »

(5) C. Th., XI, 19 (= C. Iust., XI, 61, 2) : « De collatione fundorum patrimonialium vel emphyteuticorum et rei privatae. » L. 4 : « Qui praedia patrimonialia et emphyteutica, privatae quoque rei perpetuo iure retinent. » XI, 16, 2.

(6) C. Iust., XI, 62, l. 5 : « Si qui a prioribus colonis vel emphyteuticariis destitutum patrimonialem fundum. » L. 7 : « Quicumque ad emphyteusim fundorum patrimonialium. » L. 8 : « Omnes fundi patrimoniales... vel emphyteusim vel conductionem. » L. 12 : « Possessores vel emphyteuticarii patrimoniales. »

modo ac emphyteusi colantur fundi patrimoniales, scilicet per conductionem (1) et per id, de quo loquemur, *ius privatum salvo canone* (2).

(1) C. Iust., XI, 62, 8.

(2) C. Th., XI, 1, 4 : « *Si quis ab emphyteuticario seu patrimoniali possessore privati iuris.* »

Hic agitur de *iure privato salvo canone.*

CAPUT TERTIUM.

DE IURE PERPETUARIO VEL EMPHYTEUTICO.

Quid autem sit commune *iuri emphyteutico* cum *iure perpetuo*, vel fundis emphyteuticis cum fundis perpetuariis superest ut inspiciamus. Eamdem rem duobus nominibus designari puto, his argumentis fretus :

1° Locum quemdam codicis Iustiniani Tribonianus ita interpolavit : « *Totius perpetuarii*, HOC EST EMPHYTEUTICARII *iuris* (1). » Eius igitur tempore ius perpetuum idem esse ac ius emphyteuticarium constat.

2° Sed rem ita se habuisse multo ante Tribonianum probari potest. Legitur in codice Theodosiano ad annum 365 de praediis emphyteutici iuris : « *Nec prius eius dominio qui ceteros oblatione superavit* PERPETUAE *firmitatis robur accedat* (2) ; et ad annum 393 : « *Ius emphyteuticum quo juris patrimonialis*

(1) C. Inst., I, 33, 2 (= C. Th., I, 11, 1).
(2) C. Th., V, 13, 18.

vel reipublicae praedia possessoribus sunt adiudicata perpetuariis (1). »

3° Agros urbium vectigales quasi emphyteuticos sibi fingit in Digestis Tribonianus (2); eosdem autem illos agros iure perpetuo regi codices monstrant (3); unde ius perpetuarium nihil aliud esse ac emphyteusim constat.

Ex his igitur argumentis constat nova re privata post Diocletianum contineri quidquid non ad sacras largitiones pertinet, scilicet veterem rationem privatam, fundos fiscales, fundos patrimoniales, domum divinam ; et plerisque praediis ius perpetuarium, id est, emphyteusim adhiberi, quamvis et alia sint omnia colendi genera.

Propius nunc inspiciamus quid sit ius illud perpetuarium et emphyteusis. Multi enim a iure perpetuario emphyteusim differre putant ; aiunt emphyteusim, hoc moribundae agriculturae remedium in quarto tantum seculo institutam esse ut agri deserti concessa quadam immunitate colerentur iterumque solvendo tributo postea idonei fierent; hanc igitur colendi conditionem necessitatemque ei propriam fuisse, neque in iure perpetuario neque in iure agrorum vectigalium reperiri.

Quae omnia minus vera esse puto.

1° Hanc colendi necessitatem emphyteusi non esse

(1) V, 13, 33.

(2) Dig., VI, 3, 1 : « Si ager vectigalis » (id est emphyteuticarius).

(3) C. Iust., XI, 71, 2-3.

propriam constat. Iam in simplici conductione conditiones illius generis saepe conductoribus impositas esse videmus (1). Eamdem colendi necessitatem in contractu quodam qui non est emphyteusis, in *iure privato salvo canone reperimus* (2); imo queruntur apud imperatorem emphyteuticarii quod possessiones, quas suscepissent, desertae esse coeperint (3); non desertas igitur eas acceperant; eodemque modo detinentur emphyteuticario nomine terrae « *nec ad plenum idoneae, nec omnibus modis vacuae* (4). »

2° Videmus in legibus quarti seculi pro emphyteusi ius perpetuarium saepissime poni ; neque enim uti volumus locis, utpote a Triboniano forsitam corruptis in quibus, iam in tertio seculo, emphyteusis nominatur (5).

Quoniam tamen pleraque bona, quae ad fiscum delaberentur, in quarto seculo deserta essent, evenire potuit ut immunitas tributi, per aliquot annos, duos vel tres, veteri conductioni perpetuae, cum colendi necessitate adderetur : unde factum est ut novum illud nomen emphyteusis, ab Oriente in partes Oc-

(1) Dig., XIX, 2, 24, § 3 : « ... veluti ut opus aliquod efficerent, propagationes facerent. »

(2) C. Iust., XI, 59, 7.

(3) C. Iust., XI, 62, 3.

(4) XI, 59, 7.

(5) Dig., XXVII, 7, 3, § 4 : « *Si ius ἐμφυτευτικόν vel... habeat pupillos.* » C. Iust., V, 71, 13 : « *Etiam vectigale vel patrimoniale sive emphyteuticum predium...* » — Possis tamen contendere verbum ἐμφυτευτικόν in Digestorum fragmento, eo ipso quod Graece scribatur, ad Ulpiani tempus, sine interpolatione, referendum esse.

cidentis translatum, recte ius perpetuarium designaret.

Hoc etiam animadvertendum esse puto, quod plerosque latuit, fuisse aliquid in quo emphyteusis bonorum imperatoriorum ab emphyteusi bonorum privatorum differet. Imperatoris enim praedia neque praescriptioni neque usucapioni subiacere neque alienari posse sine consensu principis certum est (1), quamvis multi ea usurpare et ad ius privatum transferre tentent et saepe principum donationes examinari et retractari debeant (2). Itaque nullae possunt inter imperatorem conductoremque emphyteuticarium controversiae nasci, utrius sit fundorum dominium ; contra autem, quum fundi privati usucapi et acquiri per praescriptionem possent, frequentes oriebantur inter dominum et conductorem lites et iterum iterumque prohibere imperatores debent ne dominium usurpent conductores qui rem aliquam iure emphyteutico per quadraginta annos vel amplius tenuerint (3).

(1) C. Iust., VII, 38, 2 et 3 : « ... neque enim incubatio diuturna aut novella professio proprietatis nostrae privilegium abolere poterit... » Dig., XXX, 39, § 10.

(2) C. Th., IV, 13, 1.

(3) C. Iust.. VII, 39, 2 et 7, § 7 (525).

CAPUT QUARTUM.

DE VARIIS CULTURAE GENERIBUS ET EMPHYTEUSI.

Diversa nunc enumeremus colendi genera in imperatoriis fundis post Diocletianum adhibita.

I. Emphyteusim primum frequentissimam habemus, quam veram esse possessionem et prope dominium, praeter debitum canonem, dixeris. Etenim emphyteuticarius, qui ex antiquo iure romano *possessor* tantum fuisset (1), nunc saepe dominus vocatur (2). In insigni quodam loco possessor patrimonialis eadem ratione habetur ac possessor privatus (3). Iam enim, inde a Constantino, vendere praedium, per donationem vel testamentum transmittere, relinquere in hereditate potest (4); multasque constitu-

(1) Dig., II, 8, 15, § 1.

(2) C. Th., II, 25, 1; V, 13, 18; XIII; 11, 6. C. Iust., XI, 66, 2 (solis *dominis* heredibusque *dominorum*); XI, 62, 2 (minorum *dominio*); XI, 63, 2; XI, 62, 14 (super *dominio* memoratorum omnium fundorum); XI, 70, 4 (firmum *dominium* tenere).

(3) C. Th., XI, 28, 16 : « Errat hic Gothofredus qui *possessorem privatum* in lege nominatum conductorem esse rei privatae putat. »

(4) C. Iust., XI, 59, 2 : « Si quis ab emphyteuticario seu patrimo-

tiones habemus quae huius generis contractus firment : Quod qui negant (1) ex constitutione quadam Zenonis (2) non animadverterunt in titulo illo codicis Iustiniani non agi de emphyteusi imperatoria, sed solum privata, nullumque esse verbum in Zenonis lege quod ad fundos imperatorios pertineat.

Aiunt tamen emphyteuticarium qui praedium alii vendiderit, pro eo etiam obnoxium canonis solutioni remanere (3) : quod verum fateor neque meae opinioni contrarium esse constat.

Nonne enim curiales ipsi, veri tamen possessores et domini, pro vendita terra, adhuc tributo solvendo obnoxii diu permanserunt?

Neque magis assentior eorum opinioni qui putant in venditionibus ab emphyteuticario factis fisco reservari partem quinquagesimam pretii et ius quoddam

niali possessore privati iuris quippiam comparaverit... ; » XI, 62, 1 : « Si quis fundos emphyteutici iuris salva lege fisci citra iudicis auctoritatem donaverit, donationes firmae sint...; » L. 12 : « Illud quoque ius, in quibus coluit praediis, quod aut ex successione aut ex comparatione privata aut nostri numinis liberalitate aut quocumque modo possedit, sciat inlibatum intemeratumque servari; » XI, 71, 5, § 4 : « Iure igitur perpetuo publici contractus firmitate perpetuarius securus sit et intellegat neque a se neque a posteris suis vel his ad quos ea res vel successione vel donatione sive venditione vel quolibet titulae pervenit... esse retrahendam; XI, 59, 7. Vide venditionem istius generis in S. Augustino » (Migne, *P. L.*, *Op. Aug.*, IX, p. 316) : « Nonne Crispinus vester Calamensis, cum *emisset* possessionem et hoc emphyteuticam... » — Ad Hipponam situm erat hoc praedium (p. 387).

(1) Garsonnet, l. c., p. 155.

(2) C. Iust., IV, 66, 1.

(3) C. Iust., XI, 66, 3; XI, 62, 1.

praeemptionis per duos menses (1). Hoc enim in privata non in imperatoria emphyteusi statuitur.

Imo etiam emphyteuticario ius permittitur manumittendorum, quae fundis assignantur, mancipiorum (2).

Debet canonem vel pensionem ad quam in licitatione auctionum augmenta succreverunt (3) : veteres tamen possessores novis conductoribus praeferuntur (4). Ne canon semel constitutus augeatur, leges plurimae vetant, quanquam id haud semel tentatum fuisse comperimus (5). Delabitur in *vitium commissi* emphyteuticarius non soluto canone post tempus incertum, forsan post tres annos, quantum ex emphyteusi privata coniicere licet (6). Sed quamdiu pensionem solvit, cavent leges ne in possessione inquietetur, quamvis ea bona, a multis appetita, saepius postulentur et a principibus aliquando, etiam contra edicta sua, concedantur (7). Anastasius constituit nullam formidari actionem posse ab iis qui praedia haec per quadraginta iugiter annos possederint (8).

(1) C. Iust., IV, 66, 3, § 3-4 (*Lex Zenonis*).

(2) C. Iust., XI, 62, 12 : « Licentia eis concedenda etiam *libertates* mancipiis ex fundis patrimonialibus atque emphyteuticariis, cum fundorum sint *domini*, praestare. »

(3) C. Iust., XI, 70, 4.

(4) XI, 71, 4.

(5) C. Iust., X, 48, 10; XI, 59, 17; XI, 71, 2. Nov. Theodos., XXVI, § 4.

(6) C. Iust., V, 37, 23. C. Th., V, 13, 16 et 18.

(7) C. Th., V, 13, 21 et 33. C. Iust., XI, 71, 5; XI, 62, 3 et 5. Nov. Theodos., XXVI, § 4.

(8) C. Iust., XI, 62, 14.

Contra autem, in emphyteusi privata, ne hoc quidem temporis intervallo securam fieri possessionem vidimus.

Qui sit autem canon emphyteuticarius, propius videamus (1). An tributa ordinaria, praeter canonem, debeantur, parum liquet. Attamen, quamvis haec verba reperiamus : « *tributa et canonem*, *salvo canone et tributariis collationibus* (2) » parum probabile est verum tributum intelligi. Inde enim a Constantino multa privilegia praediis nostris, primum in Africa et in Italiae parte, deinde in Italia tota Siciliaque et aliis provinciis (3) conferuntur, ita ut a gleba senatoria, collationibus auri et argenti et omnibus extraordinariis sordidisque muneribus immunia sint (4) : ea igitur praeter canonem emphyteuticarium solis annonis (5) functa esse arbitror, quibus interdum pretia tironum, cursitationes, itinerum pontiumque impensae aliaeque huius generis praestationes adiiciebantur (6).

Canonis modum indicare difficile est. Hunc enim, utpote auctionibus obnoxium, quum possessores aliqui deficerent, diu incertum mansisse patet. Fieri tamen potuit in quinto seculo ut tertiam fructuum partem conductor emphyteuticarius solveret. Ea enim

(1) Nominatur etiam *titulus emphyteuticarius* (C. Th., V, 13, 19).
(2) C. Th., V, 13, 30. — C. Iust., XI, 59, 7.
(3) C. Th., XI, 16 ; l. 1, 2, 5, 9, 12, 13.
(4) C. Th., V, 14, 4.
(5) C. Th., V., 14, 5; XI, 16, 13.
(6) C. Th., VII, 13, 2; XV, 3, 1, 4, 6. C. Iust., XI, 75, 3, 4; XI, 74, 3; Nov. Theodos., V, § 3.

conditione agri publici nonnulli, imperantibus in Italia Ostrogothis, elocati fuisse urbibus videntur (1); neque alium esse sensum illius obscurissimae epistolae Sidonii putaverim ubi agitur de praediis quae a rege Visigothorum confiscata et ideo fisco incorporata essent (2). « *Necdum enim quicquam*, scribit Sidonius, *de haereditate socruali vel in usum tertiae sub pretio medietatis obtinui.* » Quid aliud quam se petiisse scribit ut, oblata etiam pretii medietate, praediis suis quasi emphyteuticariis frueretur et pro canone tertiam fructuum partem solveret? Ea tamen solum probabilia esse confiteor.

Emphyteuticarii, adito comitis rerum privatarum officio, modum agri, quem sollicitant, per « *libellos* » indicant (3), unde etiam emphyteusis libellarius titulus vocatur (4) : ex hoc nomine originem trahunt verba haec : *livellus*, *livello*, postea in Italia ad cuiuscumque generis conductionem perpetuam translata. Hoc autem ab emphyteuticariis exigitur ut fundos patrimonii sui cautione idonea obligent vel fideiussores idoneos praestent (5) : quod nihil aliud esse ac veterem *subsignationem* praediorum apparet.

Inter emphyteuticarios videmus primum senato-

(1) Vide thesim nostram gallice inscriptam : *Le sénat romain depuis Dioclétien.*

(2) Sidon., ep. VIII, 9 (Ed. Baret). — Aperte demonstrat epistola sermonem esse de praediis ab Eurico confiscatis.

(3) C. Iust., XI, 66, 2.

(4) Cassiodor., *Var.*, V, 7 : *libellario titulo.*

(5) C. Th. XIII, 11, 6 ; I, 11, 1 ; I, 32, 2. — C. Iust., XI, 62, 7 ; XI, 59, 3.

res, qui olim ab hac conductione prohibiti fuerant, comites consistorianos, potentes viros (1); palatinos etiam, quamvis hoc eis leges interdixissent (2); curiales qui e curiis ad domus imperatoriae privilegia profugiebant (3); mediocris etiam fortunae homines quos saepe, inita quadam societate communiter in praediis emphyteuticis vivere comperimus (4). Multo etiam plures fuisse quam crederes hos mediocres homines constat, qui ab usurpando nominis militiae dignitatisque cingulo prohibentur (5), qui parum a colonis distant (6), quamquam diversi. Iis etiam sunt annumerandi collegiati et corporati qui sub perpetua conductione bona reliqua civitatum et praedia aliqua de iure templorum ad fiscum translata tenebant (7) : inter eos reperimus Laetos illos de quorum conditione toties est disputatum et quos ex Novella

(1) C. Th., V, 13, 33 (ubi agitur de *potentibus* conductoribus, X, 5, 1 (398) : « Ne consistoriani comites fideiussores in suscipiendis possessionibus darent. — Ex immunitate glebae senatoriae praediis emphyteuticis concessae (C. Th., V, 14, 4) apparet etiam senatores conductores fuisse; nam quasi domini praediorum istorum facti, pro his glebam senatoriam persolvere potuissent. »

(2) C. Iust., XI, 73, l. un.

(3) C. Th., XII, 1, 33, 114.

(4) C. Th., V, 13, 33; XI, 19, 1-2 (= C. Iust., XI, 65, 3 : « Omnes qui patrimoniales fundos sive *communiter* sive ex asse retinent). C. Iust., XI, 68, 6.

(5) C. Th., X, 26 (de conductoribus et hominibus domus Augustae), l. 1 : « Nullum ciuslibet nomen militiae usurpent, nullius cingulo dignitatis utantur... »

(6) C. Iust , XI, 48, 22.

(7) C. Th., X, 3, 5 (400) : « Aedificia, hortos atque areas aedium publicarum et ea reipublicae loca quae aut includuntur moenibus civitatum aut pomeriis sunt connexa, vel ea quae de iure templorum

Severi obsequiis civitatum et, ut videtur, etiam agrorum culturae deputatos esse comperimus (1).

Emphyteuticarios autem divites, vel etiam mediocres nunc quoque colonis imperatoriis, in fundo assiduis, uti comperimus (2), ut olim in saltu Burunitano; neque nunc facilius est, quam olim, discernere quae sit colonorum ratio cum emphyteuticariis. Videmus in lege Constantini quae inter utrosque controversiae de agrorum aquarumque possessione exorirentur (3). Quum autem in alio loco propria sua habeant conductores mancipia et pecora (4), coniici potest etiamnunc magnos fundos

aut per diversos petita aut aeternabili domui fuerint congregata... sub perpetua conductione, salvo dumtaxat canone... penes, municipes, collegiatos et corporatos urbium singularum collocata permaneant.

(1) Textus novellae II Severi, in Haenelii editione adhuc mutilus, a Bluhmio restitutus (*Monumenta Germaniae*, III, 624, ex Cod. Vat. Reg. 1050) ita fert : « Cum... ad nos provincialium querela pervenit eo quod *laeti* et alia corpora publicis obsequiis deputata... » (465). — Inde intelligitur cur operam dent terris laeticis assignandis principales et defensores urbium in C. Th., XIII, 11, 10; scilicet agitur, magna ex parte, de fundis municipalibus qui e civitatibus ad fiscum venerant.

(2) C. Th., II, 25, l. un. : « In Sardinia fundis patrimonialibus vel emphyteuticariis per diversos nunc dominos distributis, oportuit sic possessionum fieri divisiones, ut integra apud possessorem unumquemque servorum agnatio permaneret. — C. Iust., XI, 63, 3 : « Cognovimus a nonnullis qui patrimoniales fundos meruerunt, colonos antiquissimos proturbari, atque in eorum locum vel servos proprios vel alios colonos subrogari... » XI, 66, 2.

(3) C. Iust., XI, 63, 1 : « Emphyteuticarios gravant coloni agros praeter consuetudinem usurpantes quos nullis culturis erudierunt... sed et inriguas fontium aquas usurpare conantur quarum fructus solis emphyteuticariis debentur... »

(4) C. Th., V 14, 4 (= C. Iust., XI, 66, 2).

in duas partes dividi : alteram quae casas particulasque colonorum contineat, alteram quam propria opera conductores tractent, praestationibus etiam colonorum vicinorum adiuti ; sed fieri etiam potuit ut tertia quaedam pars indivisa colonorum conductorumque usui, quasi ager communis, servaretur.

Codices adhuc indicant genus quoddam peculiare emphyteuseos quod vocatur *ius privatum salvo canone*. Per hunc contractum alienantur a principibus fundi « *empti privato iure salvo canone*, » vel *ad ius privatum* translati, ita ut ad novum possessorem integrum rei transeat dominium et pensionem annuam sibi solam fiscus reservet (1) et praestationes extraordinarias ad temporum necessitates (2). Quemadmodum contractus ille ab emphyteusi differat, parum liquet. Sunt qui in hac venditione pensionem esse loco pretii putent (3) : quod parum probabile videtur ; potius crediderim hinc pretium venditionis vere fisco solvi, illinc autem canonem, sed quam levissi-

(1) C. Iust., XI, 59, l. 2 : « Patrimoniali possessore privati iuris ; — l. 9 : « Qui fundos patrimoniales iure privato salvo canone susceperunt ; » — l. 7 : « Quicumque defectum fundum patrimonialem exercuerit... salvo patrimoniali canone, perpetuo ac privato iure defendat velut domesticum et avita successione quaesitum. » XI, 62, l. 9 : « universi cognoscant nihil privato iure salvo canone fundis emptis cum patrimonialibus esse commune ; » l. 13 : « Nulli iam in posterum licere praecipimus patrimoniales, seu limitrophos vel saltuenses fundos, qui per tractum orientis positi sunt, ad ius transferre privatum, sive dempto, sive salvo canone fundorum immutatio postuletur. » C. Th. V, 13, 38. Nov. Martian., 3.

(2) C. Th., XI, 20, 5.

(3) Garsonnet, l. c., p. 149.

mum, fundo indici. Hoc enim cavent imperatores ne canon totus penitus submoveatur, ne fiat alienatio *dempto canone* (1).

Has igitur habemus emphyteuseos genera, modos et regulas.

II. Post emphyteusim habemus adhuc conductionem temporariam quae minus et minus adhibita esse videtur (2), nondum tamen penitus sublata. Utrum locatione perpetua an temporaria uterentur ordines civitatum in conducendis rei privatae pascuis saltibusque non liquet (3).

III. Superest cultura dominica per *actores* qui vel servis mancipiisque vel colonis vel utrisque simul praesunt, quos etiam *procuratores* leges vocant (4). Sed, plerumque, hinc perpetuarii conductores, illinc dominici actores ponuntur (5); neque semper actores servi sunt, ut antea : itaque vetat Honorius ne inter curiales eligantur et ad hoc munus *officiales* praesidio vel *ex officialibus* commendat (6) : unde eos

(1) C. Iust., XI, 62, 13. « Plerosque publicos fundos orientales ita dempto canone a Valente alienatos, a Marciano revocatos esse Malchus tradit. » (Didot., fr. 6). — Cf. Appendix II.

(2) C. Iust., XI, 71, 5, § 6. — C. Th., XI, 16, 12 et 20; XVI, 5, 54.

(3) C. Iust., XI, 61, 1 : « *Cum nulla ratio sit cur in pascuis saltibus rei privatae pensio debeat ampliari, nequaquam pro libidine ordinum augmenta facienda sunt.* » Conductio potius temporaria esse videtur.

(4) C. Th., II, 30, 2; VII, 18, 8; X, 4. 1. — C. Iust., III, 26, 9.

(5) C. Th., XI, 19, 4 : « Qui praedia patrimonialia et emphyteutica, privatae quoque rei, perpetuo iure retinent, et dominici actores. »

(6) C. Th., I, 32, 2.

plerumque ex officiis scriniisque venire constat ; nulli tamen veterani reperiuntur (1).

Eodem modo fundi privatorum reguntur ; sunt hinc conductores (2), illinc actores vel procuratores qui servis colonisque praesunt (3); sic in lege quadam praestandis tironibus operam dant dominus, conductor, colonus et actor (4). In papyro quinti seculi domus ditissimi cuiusdam possessoris a duobus conductoribus regitur qui plenam potestatem in actores et conductores massarum exercent (5).

De colonis imperatoriis nihil peculiare dicendum habemus, quippe qui a colonis privatorum non differant ; nec colonatus historiam retractare placet (6). Pauca tamen addenda sunt :

1° Praeter veros colonos, colonos scilicet domino

(1) C. Iust., IV, 65, 35 : « Colonos quos procurandos susceperunt (milites).

(2) C. Th., II, 30, 2 Symmach., *Ep.*, IX, 52 : « Conductorem rei meae Siciliensis. »

(3) C. Th., XI, 7, 16. — Symmach., *Ep.*, IX, 6 : « Actores absentium quibus res longinqua committitur, tanquam soluti legibus vivunt. »

(4) Nov. Valentin., III, tit. VI, § 1.

(5) Marini, papiri diplomatici, n° 73, ubi agitur de Lauricio quodam, V. C. quem Marinius praepositum fuisse sacri cubiculi apud Honorium putat.

(6) Cf. Guerard : *Polyptyque d'Irminon, prolégomènes*, p. 225-232. Giraud, *Histoire du droit français*, c. III, art. 5. Wallon, *Histoire de l'esclavage*, t. III. Revillout (*Revue historique du droit français et étranger*, 1856-57). Savigny (*Kleine Schriften : uber den römischen Colonat*). Zumpt, (*Uber den römischen Colonat*). Huschke, *Steuerverfassung*. Fustel de Coulanges (*Institutions politiques de l'ancienne France, Recherches sur quelques problèmes d'histoire*). Kühn, *Städt. und bürg. Verfassung*, II, c. V.

alicui competentes, adscriptitios, censitos, tributarios, originarios sunt alii coloni qui, quanquam in fundis assidui, libertatem suam et fortunae suae proprietatem servant. Inter quos reperias parvos illos possessores, de quibus loquitur Salvianus, qui ad colonatum, fessi sua libertate, tributorumque pondere oppressi, confugerunt (1). Huic colonorum generi leges favent : sic edicit Valentianus (2) possessores, qui coloni fieri velint, voluntatem suam apud iudicem professos, in perpetuum fundis adhaerere debere, servata tamen salvaque libertate.

Eadem fere ab Anastasio edicuntur (3). A Iustiniano coloni ex ascriptitio ingenuaque muliere nati, quanquam glebae addicti, liberi esse proclamantur (4). Fortunam propriam colligere terraeque particulas acquirere possunt in quibus insidant, relicto etiam domini prioris fundo.

Colonos autem illius generis multos fuisse in fundis imperatoriis valde probabile est, quippe quibus particulas agri venditas esse proprio iure videamus.

2° A mediocribus possessoribus non modo potentium hominum, sed et imperatoris ipsius patroci-

(1) *De gubern. Dei.*, V, c. 8-9 (N° 159, éd. Migne).

(2) Novell. Valentinian., III, tit. xxx, § 5.

(3) C. Iust., XI, 48, 19.

(4) C. Iust., XI, 68. 6 : « Quotiens alicui colonorum agrum privati patrimonii nostri placuerit venumdari, non unus tantum qui forte consortibus suis gravis ac molestus existat, sed alii quoque duo vel plures ex simili origine ac iure venientes in supradicta emptione socientur. »

nium expetitum esse constat (1). Imo quum possessores usi esse contra leges alicuius patrocinio deprehenderentur, fiscum patrono succedere privato videmus (2), ita ut illi possessores quasi in principis clientelam ingrederentur; colonis liberis vel potius libertis similes.

3° In Oriente multas fuisse comperimus *metrocomias*, liberis hominibus convicanisque reservatas ubi agros non nisi ad possessores eidem metrocomiae ascriptos transmitti liceret (3) : quas valde probabile est ab imperatoribus ex praediis suis creatas, colonis quibusdam assignatas fuisse cum pleno dominio, ea sola conditione ut tributa ordinaria solverent et extraneos emptores a metrocomiis removerent.

(1) De patrocinio vide thesim nostram, *Le Sénat romain*. C. Iust., XI, 72, 1 : « Conductores hominesve augustissimae domus nostrae. . nec sententiam iudicantium aut illicito patrocinii sui fomite iura conturbent... » — X, 19, 8 (468) : « Si divina domus aut quilibet cuiuscumque dignitatis atque fortunae revera fundos extra metrocomias non patrocinii gratia, sed emptionis iure vel alio titulo legitimo possederit... »

(2) C. Th., XI, 24, 2 : « Abstineant patrociniis agricolae... Hi vero qui propria patrocinia largiuntur, per singulos fundos, quoties reperti fuerint, viginti et quinque auri libras dare debeant et non quantum patroni suscipere consuerant, sed dimidium eius fiscus assumat. »

(3) C. Th., XI, 24, 6. C. Iust., XI, 56.

CAPUT QUINTUM.

DE PRAEDIORUM ADMINISTRATIONE.

Nunc videamus quemadmodum praedia administrarentur. Hoc primum animadverto, fundos, quanquam in civitatum territorio sitos, prorsus alienos a re municipali factos esse : curialibus enim nihil esse cum re privata constat, quamvis actores suos a principalium ordinumque iniuriis saepius defendere principes debeant (1).

Toti rei privatae praeest antiquus *procurator rei privatae* qui incipiente quarto seculo *magister rei privatae*, vir perfectissimus, deinde sub Constantino *rationalis summae privatae*, denique vir illustris comes rerum privatarum vocatur (2).

Sub eius dispositione sunt in Occidentis partibus *rationales rei privatae* quos neque secundum provincias, neque secundum dioeceses dispositos esse videmus : « *Rationales scilicet rerum privatarum vel rei*

(1) C. Iust., X, 32, 21; XI, 68, 1. C. Th., X, 4, 2.

(2) Wilm., 1295. *C. I. L.*, VI, 11, 33 : « Felix, v. p. ra(tionalis) s(ummae) p(rivatae). »

privatae, per Illyricum, per Italiam (1), *per Urbem Romam et suburbicarias regiones cum parte Faustinae, per Siciliam, per Africam, per Hispanias, per Gallias, per quinque provincias, fundorum domus divinae per Africam.*

Habemus postea *procuratores rei privatae* per Siciliam, per Apuliam et Calabriam sive saltus Carminianenses (2), per Dalmatiam, per Saviam, per Italiam, per Urbem Romam, per urbicarias regiones rerum Iuliani, per Mauritaniam Sitifensem; unum *praepositum rei privatae* per Sequanicum et Germaniam primam; sunt etiam duo procuratores gynaeciorum (3) (unde etiam ex praediis rei privatae materiem gynaeciis praeberi ad opus lanificii exercendum comperimus); comes unus Gildoniaci patrimonii, ad administranda Gildonis bona creatus, quem non diutius exstitisse probabile est; unus comes largitionum privatarum, cuius proprium munus ignoratur (4). Cur etiam sub praefecto praeto-

(1) In Notitia dignitatum sunt :

Rationalis rerum privatarum per Italiam.
Rationalis rei privatae per Italiam.

Alterum *rationalem rei privatae per Italiam.* Böckingius iure radendum putat nisi forte in solo nomine *Italiam* erratum est.

(2) Vidimus haec praedia iam in aetate Frontini inter rei privatae possessiones numemerata. » Cf. Böcking, *N. D*, II, p. 386 (Carminianenses saltus, hodie Carmignano, Calabriae oppidum).

(3) De gynaeceis vide Böcking, *Not. Or.*, c. XII, p. 253, n. 14.

(4) Cf. Orelli, 3189 : « *Ti. Corconius V. C. ex comite largitionum privatarum ex prae.* — Sed forte ille idem est ac comes rerum privatarum. — Comes largitionum in C. Th., X, 2, 1, utrum comes sa-

rio Italiae *praefectus fundorum patrimonialium*, in Africa, collocetur (1), non liquet. Fieri potuit ut, quasi in Cappadocia, ita in Africa ex fundis patrimonialibus provincia quaedam constaret.

In partibus Orientis sub dispositione comitis rerum privatarum sunt : rationales rerum privatarum, quorum numerus in Notitia dignitatum non indicatur ; praepositi gregum et stabulorum (2), procuratores saltuum (3).

Praeest etiam comes rerum privatarum domibus divinis quae ad rem privatam pertinent (4).

Magistros autem privatae qui sunt sub dispositione comitis largitionum ad sacram vestem referendos non puto ; eorum conditionem in dubio relinquere praestat (5).

Multos esse praeterea, qui in Notitia non enumerantur, procuratores diversarum possessionum certum est (6).

Inter leges Iustiniani, quae ad rem nostram pertinent, habemus praecipue novellam (7) « *de proconsule Cappadociae* » cui possessiones tamiacae huius provinciae committuntur.

crarum largitionum ac noster comes largitionum privatarum, ut possis coniicere ex titulo : *De domibus ad rem privatam pertinentibus*, non constat.

(1) *N. D. Occid.*, p. 11 : « praefectus fundorum patrimonialium. »

(2) Cf. C. Th., X, 6; C. Iust., XI, 76; C. Th., XV, 10, 1.

(3) C. Iust., XI, 66 et 67.

(4) *Not. Dign. Or.*, p. 44 : « Domus divinae. » — C. Th., X, 2.

(5) *Not. Dign. Or.*, p. 42.

(6) C. Th., XVI, 10, 13.

(7) Nov. 30.

Diversa rationalium comitumque munia in administrandis praediis haud facile discernas. Canon enim nunc a praeside sub Constantino, nunc a rationali rei privatae exigitur post magnam de praediis fiscalibus Valentiniani legem, cuius vestigia in codice Theodosiano passim reperiuntur (1) : neque hoc stabile, quoniam usque ad Iustinianum, nunc praesidi nunc rationali cura haec committitur (2) et palatini quoque hic, ut in aliis administrationis partibus operam suam praestant (3). Animadvertendum est tamen, apud praesidem, quum canonem exigit, duas esse arcas, alteram largitionalibus titulis, alteram canoni praediorum reservatam et utramque a comitibus rei privatae sacrarumque largitionum inspici (4). Eodem modo plerumque praedia locanda curat comes rei privatae, quamquam interdum huic rei adhibitos et praefectos praetorio et urbi, vicariosque videmus (5).

Quod autem ad iurisdictionem attinet, aeque obscurum et male compositum videtur. Saepe actores, conductores ceterique homines rei privatae, quamvis sibi iuris privilegia vindicent, ad iudices ordinarios

(1) Hanc legem invocant saepe posteriores imperatores. C. Th., X, 3, 3; X, 5, 1; XI, 19, 4. Vide Gothofredi notas ad. C. Th., X, 51, 1.

(2) C. Th., V, 13, 31; I, 11, 1; I, 13, 1; XI, 7, 17; XIII, 11, 6. C. Iust., I, 33, 1; XI, 64, 5; XI, 73, 1.

(3) C. Th., I, 5, 13.

(4) C. Th., VIII, 1, 12. C. Iust., III, 26, 7; XI, 62, 3 et 11; XI, 63, 2; XI, 71, 4.

(5) C. Iust., XI, 59, 7 et 9 et 17; XI, 71, 1, 3, 5; XI, 62, 5, 7; XI, 74, ; V, 24, 13.

ab imperatoribus reducuntur, ita tamen ut praesente rationali vel procuratore aut *defensore domus* imperatoriae causa tractetur (1).

Qualis sit *defensor* ille *domus*, in lege Valentiniani ad annum circiter 365 nominatus (2), non liquet : aut novus est magistratus, eodem fere tempore institutus, quo defensores civitatum et senatus, ita ut nulla pars reipublicae proprios suos defensores non habeat; aut advocatus quidam fisci intelligendus est, novo nomine decoratus.

Sua tamen domui divinae privilegia servat Theodosius, lata lege ut domorum divinarum coloni et inquilini tantummodo apud praepositum sacri cubiculi vel comitem domorum agerent vel pulsarentur (3); sed hoc tantum ad domum divinam, non ad totam rem privatam pertinet.

Causas autem vere fiscales, quae oriuntur inter fiscum conductoresque vel privatos homines nunc ad rationalem rei privatae, nunc ad rationalem sacrarum largitionum, praesente semper advocato fisci (4), nunc etiam ad praesidem provinciae, praesente rationale vel advocato fisci deferuntur (5). A rationali autem vel praeside ad imperatorem vel ad sacra vice

(1) C. Th., X, 4, 1; II, 1, 1; II, 1, 5; X, 4, 3; I, 11, 2; X, 26, 1. C. Iust., III, 26, 8.

(2) C. Th., X, 4, 3. Symmach., *Ep.*, X, 62 (defensores).

(3) C. Iust., III, 26, 11.

(4) C. Th., X, 1, 4, 7; X, 9, 1; X, 8, 2; XI, 9, 4; XI, 30, 41. C. Iust., II, 37, 3; III, 26, 5.

(5) C. Th., X, 8, 5; X, 10, 7, 32; X, 1, 16; II, 1, 5; X, 15, 4. Symmach., *Ep.*, X, 62.

iudicantem, sive comitem sacrarum largitionum sive comitem rei privatae (1), sive proconsulem Africae (2), sive ex delegatione comitis, ad praesidem vel etiam ad praefectum urbi (3) provocatur.

Quam multae autem controversiae propter has appellationes nascerentur, videre est ex multitudine legum ad rem pertinentium et potissimum ex relatione quadam Symmachi (4) quam propius inspicere libet : quum rationalis rei privatae, delegata a comite rei privatae cognitione, hereditatem quamdam in ius fisci inique redegisset, heredesque provocavissent a sententia, fisco placebat ut rursus rationali iudicium transferretur ; quum autem Symmachus, praefectus urbi, re potitus, sententiam rationalis abolevisset, fiscus hoc iudicium provocatione ad imperatorem facta (5), suspendit.

Sed istud in primis notandum est quantum suis iurisdictionis privilegiis, ad vicinorum agricolarum detrimentum, procuratores, conductores, emphyteutae aliique fundorum fiscalium homines abuterentur, quoties contra eorum contumelias depraedationesque provincialibus succurrere imperatores deberent (6). Habemus constitutionem Tiberii περὶ τῶν θείων οἴκων (7) (de divinis domibus) ubi queritur

(1) C. Th., XI, 30, 18, 21, 28, 45. C. Iust., XI, 47, 1.
(2) C. Th., XI, 30, 68.
(3) C. Th., XI, 30, 45, 49.
(4) X, 62 (Migne, *P. L.*).
(5) Ex lege quadam anni 383 (C. Th., XI, 30, 41).
(6) C. Th., X, 26, 2. C. Iust., XI, 72, 1; III, 26, 9.
(7) Kriegel, *Corpus iuris*, III, p. 727.

quod procuratores, conductores, chartularii aliique possessoribus vicinis agros eripiant, titulos imperatorios vel signacula alienis praediis imponant, colonos aliorum suscipiant, iudices ipsi suarum controversiarum cum agricolis sedeant, auxilium litigantibus contra ius praestent, vel actiones in se transferant, et patrocinium contra leges tribuant. Inter alia igitur, lites ad ordinarios iudices remitti iubet imperator nisi communi consensu iudicium procuratoris partes elegerint. Eaedem autem postea sub regibus Francorum inter iudices ordinarios fiscique praepositos orientur controversiae.

Iam etiam quoties sub imperatoribus donationes ex praediis fiscalibus fierent, quemadmodum rescripta de hac re pecunia, dolo, suffragio petitores impetrarent, monstravimus (1) : quanquam multum adhuc auri argentique in promptu esset, ad exsolvenda cuiuscumque generis debita fundi fiscales iam aptissimi erant : quid mirum erit si ampliores adhuc de his fundis donationes barbari reges faciant?

(1) Vide supra. — Cf. C. Iust., XI, 62, 6, 8, 3 ; XI, 71, 5.

CAPUT SEXTUM.

DE PRAEDIIS REGIIS APUD CASSIODORUM ET ECCLESIASTICIS APUD GREGORIUM MAGNUM.

Eodem modo etiam sub Ostrogothis praedia imperialia administrata esse Cassiodori scripta demonstrant. In formula comitivae privatarum (1) curat adhuc comes ille ius perpetuarium et bona caduca; praeterea providere debet ne matrimonia illicita contrahantur, aut sepulcra violentur : quae nova munia quo tempore acquisierit, nescimus.

Ad exemplum autem Anastasii imperatoris (2) institutum fuisse a Theodorico novum *comitem patrimonii* videmus ad regendum novum patrimonium, domui divinae valde simile, usuique principum peculiari palatiique necessitatibus destinatum. Praedia huius patrimonii etiam libellario titulo conductoribus, inter quos senatores reperiuntur, committi et

(1) *Var.*, VI, 8. Ennod., *Ep.*, VI, 10 (Migne, *P. L.*, LXIII).

(2) Lydus de Mag., II, 27. C. Iust., I, 34. — Cf. Böcking, *N. D.*, II, 11, p. 375. Cassiodor., *Var.*, VI, 9; IX, 3; I, 16.

partem canonis in frumento persolvi comperimus (1). In Hispania Theodoricus, ne conductores domus regiae (procuratores, ut probabile est) partem pensionum sibi servent, salaria eis pro qualitate locatae rei constituit (2) cavetque ne villici regii *patrocinium*, vel alio nomine, *tuitionem* exerceant.

Vidimus quemadmodum maxima pars terrarum fiscalium Gothis in Italiam advenientibus assignata esset (3) : multae tamen adhuc supererant ex quibus donationes saepissime fiunt (4).

Post Ostrogothos autem videmus in litteris Gregorii Magni ad exemplum fundorum fiscalium informata fuisse Romanae ecclesiae patrimonia (5).

Massae provinciae cuiusque vel regionis in unum quasi patrimonium redigebantur, cui praeerat rector vel defensor vel etiam subdiaconus, vel ubi parvae possessiones erant, vicinae civitatis episcopus (6). Defensoris, quem iure cum rationali fiscique advo-

(1) *Var.*, V, 6, 7 ; I, 16.

(2) *Var.*, V, 39 : « Conductores domus regiae, quacumque gente sint editi, ad liquidum veritate discussa, tantum decernimus solvere quantum nostra praedia constiterit pensitare. Et ne cuiquam labor suus videatur ingratus, salaria eis pro qualitate locatae rei vestra volumus aequitate constitui. »

(3) Vide thesim nostram gallicam.

(4) *Var.*, V, 12.

(5) Gregor., *Op.* (Migne, *P. L.*, LXXVII); I, 44, 73 ; II, 1, 4, 21, 32 ; III, 3; V, 29, 31 ; V, 52-58; VIII, 23, 32; IX, 18, 19, 20-24, 26, 27, 39, 40, 46, 55, 56, 57, 62, 83 ; X, 1, 3, 28, 64 ; XI, 10, 14, 21, 23, 38, 39, 41, 42; XII, 4, 13, 25, 39, 43 ; XIV, 14. — Cf. *Liber Diurnus* (éd. Rozière), n. 34, 35.

(6) Cf. Pelagii, I ep. : « Pelagius Mauro episcopo Praenestino » (Migne, *P. L.*, LXIX, 417).

cato conferas, hoc praecipuum erat officium ut praediis servandis, augendis, locandis invigilaret, hereditates ecclesiae relictas vindicaret, litesque intenderet repelleretque, colonos a vexationibus protegeret, salvo tamen in magnis rebus pontificis iure, cuius assensum exspectare deberet (1). Huic parebant praepositi qui actionarii vocabantur (2), aliique defensores tenuissimae condicionis (3) qui unicuique massae praeponebantur, antiquis possessionum procuratoribus similes.

Fundi autem ecclesiastici duobus praecipue modis, sive cultura, quam vocavimus dominicam, id est, per actores colonosque et servos, sive per conductionem tractabantur. Conductionis vero duo erant genera, perpetuae scilicet et temporariae. Perpetuam tamen perraro invenias (4), quippe qua ecclesiis imperatores et in primis Iustinianum interdixisse sciamus (5) ne res ecclesiarum sub praetextu emphyteuseos in laicorum manus venirent. Conductionem igitur temporariam potissimum reperimus, quanquam conductores minus frequenter mutari Gregorius iubet (6).

Ut olim, ita et nunc conductores habemus vel

(1) IX, 57.
(2) I, 73.
(3) XII, 25.
(4) II, 1 (libellario nomine); X, 64 (sub specie libellorum tenere); III, 3 (reliquas sex uncias aut in emphyteosim damus aut reditus commutamus).
(5) Nov. 7.
(6) I, 44.

honestiores ditioresque ex senatoriis familiis ortos (1), vel plerumque viros humiliores tenüiorisque fortunae qui saepe multimodis exactionibus vexantur. Sic prohibet Gregorius ne solidum unum vel amplius extra libram in pensione persolvere cogantur (2). Conductoribus autem parebant praeter propria mancipia, quae secum advehebant, coloni ecclesiastici, in agris assidui, a quibus praeter annuum tributum praestationes multas, ut in saltu Burunitano, inter quas *nuptiale commodum* accipiebant (3). Tanta autem vigilantia, quanta imperatores in agris Ecclesiae colonos papae retinent (4).

Sed fundorum ecclesiasticorum historiam ultra persequi, a proposito nostro alienum est; neque magis inspiciemus quemadmodum imperatorum heredes, reges barbarorum et potissimum Francorum terras fiscales administraverint et ad varias necessitates adhibuerint. Sufficiat animadvertere fere omnes

(1) Ut coniicio ex XII, 43.

(2) Ita fert ille locus litterae, I, 44, ex manuscriptis ab Ewaldio restitutus (Cf. Mommsen, *Hermès*, XV) : « *Exactionem fieri ita ut ad septuagenos ternos semis... conductores exigantur... ut pensionem integram... ad septuagenos binos persolvant.* »

In libra LXXII solidos dari, nec amplius iubet Gregorius; ita cadunt omnia quae coniecerat ex textu vulgari Savinius (Savigny, *Kleine Schriften*, II, XV, p. 24, n. 2).

(3) I, 44 : « Pervenit etiam ad nos quod de nuptiis rusticorum immoderata commoda percipiantur : de quibus praecipimus ut omnia commoda nuptiarum unius solidi summam nullatenus excedant... : quod nuptiale commodum nullatenus volumus in nostram rationem redigi, sed utilitati conductorum proficere. »

(4) Gregor., *Ep.*, IX, 19; XII, 25. — Pelagii, I, *Ep.*, p. 418 (Pelagius Melleo subdiacono).

culturae locationis conductionisque formas nobis in fundis imperatoriis occurrisse, quae postea fundis nobilium, regum ecclesiarumque per medii aevi cursum reperientur.

APPENDICES

APPENDIX PRIMA.

DE CONDUCTIONE PERPETUA IN FORMULIS QUIBUSDAM TURONENSIBUS ANDECAVENSIBUSQUE.

Explicandis formulis quibusdam Turonensibus Andecavensibusque operam recentissime dedit Brunner (1), in quibus proprietatis forma quaedam insignis reperitur. Praedia nempe de quibus agitur variis modis transmittuntur, vel in dotem (2) vel in hereditatem concessi (3), vel venditi (4), vel

(1) *Zeitschrift der Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte*, V, 2 (*Germanistische Abtheilung*) : « die Erbpacht der Formelsammlungen von Angers und Tours und die spätromischen Verpachtung der Gemeindeguter. » — Cf. Esmein, *Mélanges d'histoire du droit et de critique* (les baux perpétuels des formules d'Angers et de Tours).

(2) *Formulae* (ed. Zeumer). A, 1 : « Haec omnia subscripta rem in tuae iure et dominacione hoc recipere debias vel posteris suis, si inter nus procreati fuerunt, derelinquentis, salvi iure sancti illius cuius terre esse videtur. » — A, 40 : « Hec omnia... habias concessum... perpetualiter ad husum fructuario ad possediendum, absque preiudicio cuius terre esse videtur. » A, 54 : « ... et est super terraturium sancti illius... inferit inter tibi et fisco soledus tantus. »

(3) A, 4 : « et residit in terraturium sancti illius... ut de ab hodiernum diae memoratus emtor, quicquid de ipsa vinea facere volueris, liberam in omnibus habeas potestatem. » — A, 21 : « Ut quicquid ab odierna diae... agere volueris, absque preiudicium sancti illius cuius terre esse videtur, liberam in omnibus abeas potestatem. »

(4) A, 4, 21. — T, 8 : « Infra terminum sancti illius... ita ut ab

permutati (1). vel simpliciter dati (2), vel ad cautionem obligati (3), vel in precarium dati (4), vel traditi cum domino ipso qui se viri alterius hominem esse profitetur (5). Cum tanta igitur libertate praedia ista per manus evagantur ut de vero dominio agi prima specie credere possimus : quod tamen non omnino verum esse constat, neque facile discernas conditionem eius qui fundos alienat. Est liber plerumque ; imo etiam in duobus locis (6) inter honestiores potest numerari ; neque hunc partiarium colonum esse vere dixeris, quoniam in loco quodam fructus omnes praedii obligat (7) ; neque magis conductorem temporarium, quum nunquam conductor temporiarius de fundo locato pactum contrahere quasi dominus posset talibus verbis : « *Ad possedendum et hoc est abendi tenendi seu commutandi posteris tuis*, *vel ubi*

odierna die quicquid de supradicta rem facere volueris, liberam habeas potestatem, salvo iure ipsius sancti. » — T, 42 : « Perpetualiter ad possidendum... salvo iure ipsius terrae. »

(1) A, 8 : « Super terreturio sancti illius ut quidquid exinde facere voluerit, absque preiudicium sancti illius cuius terra esse videtur, liberam in omnibus habeas potestatem. »

(2) A, 37 : « Super terraturio vir inluster illo... perpetualiter ordine tradimus ad possedendum... soledus tantus tibi sociante fisco componat. » — A, 58 (incipit cessio) : « Abendi, tenendi, donandi, vendendi seu commutandi absque preiudicio sancti illius, cuius terre esse videtur, liberam in omnibus abeas potestatem... et insuper inter tibi et agente sancti illius tantus componat. »

(3) A, 22 (caucio de vinea) : « Qui est super terraturium sancti illius. »

(4) A, 7 (securitas) : « Et quia ad petitionem meam habuit pietas vestra, fecistis mihi beneficium de rem vestra et domini illius... absque vestrum preiudicium et domini illius tenire et possedire debiat. »

(5) A, 25 (incipit vindicio qui se ipsum vendit) : « Constat nus vindedisse... cum omni peculiare quod habemus... super terra ecclesiae Andicavis. »

(6) A, 1, 25. — T, 8.

(7) A, 22.

tua decreverit voluntas, *derelinquendi* (1); » neque denique verum dominum quum verba quaedam reperiamus quae dominium quasi inter duos viros dividi demonstrant; sic legimus : « In terraturium sancti illius (2); super terraturio vir illuster illo (3); res vestra et domni illius (4); vinea iuris mei infra terminum sancti illius (5); casa mea in ratione illius (6). » Unde patet verum dominum esse, non eum qui rem alienat, sed nunc Ecclesiam, nunc virum illum illustrem. Imo qui emit fundum, conditionem quamdam patitur, his verbis expressam : « Salvo iure sancti illius cuius terra esse videtur (7); absque preiudicium sancti illius cuius terra esse videtur (8). » Unde ab emptore praestationem quamdam Ecclesiae solvendam esse iure coniicimus.

Agitur ergo de forma quadam locationis, neque ab hac coniectura abhorret titulus ille formulae cuiusdam : « Hic est vindicio de terra conducta (9). » Deinde autem statuitur multa quae, rupto contractu, dividi debeat nunc inter contrahentem et *agentem sancti*, nunc inter contrahentem et fiscum (10). Si qua autem lis oriatur, in formula quadam ad iudicium agentis Ecclesiae remittitur (11).

Ea nobis supersunt locationis illius vestigia de cuius origine ac natura non constat. Iam coniecerat Löhning (12) praedia nostra non alia esse ac agros vectigales civitatum,

(1) A, 37, 54.
(2) A, 4, 8, 21, 22, 40, 54.
(3) A, 37.
(4) A, 7.
(5) T, 8.
(6) T, 42.
(7) A, 1.
(8) A, 8, 21, 40, 58. — T, 8, 42.
(9) A, 4.
(10) A, 21, 58; 37, 54.
(11) A, 57.
(12) Löning : *Geschichte des deutschen Kirchenrechts*, II, 710.

quibus, etiam postquam in Ecclesiarum possessionem venissent, antiquum genus locationis, ius scilicet perpetuarium in integro permansisset.

Novam attulit Brunner opinionem : agri vectigales urbium, quum a Constantino eiusque successoribus in fiscum, ecclesiasque et monasteria translati essent, a Iuliano civitatibus restituti sunt, ita, ut iterum conductoribus, iis autem temporariis, traderentur (1). Sed iam ab Honorio praedia haec paulatim ad ius perpetuarium redierunt, ubi in eum canonis modum contendentium augmenta succreverunt ut extendi ultra non possent (2) et conductores agrorum municipalium perpetuarii facti sunt, conductoribus fisci similes. Sed incipiente quinto seculo spoliatae sunt iterum civitates, invitis etiam imperatoribus (3) usurpataque sunt ab Ecclesiis praedia haec iuris perpetuarii, quorum vestigia in formulis nostris adhuc apparent.

Contendit igitur Brunner contra Löhning non esse antiquos agros vectigales urbium, sed agros novi iuris perpetuarii, in quinto seculo ad imitationem fundorum fiscalium compositi.

Hanc argumentationem in multis locis peccare facile demonstrabimus.

1° Multas a Constantino factas esse donationes ex civitatum fortunis constat. Utrum tamen fundos ipsos an eorum vectigalia sola dederit, in dubio positum est ; multi enim,

(1) C. Th., X, 3, 1 : « Possessiones publicas, civitatibus iubemus restitui ita ut iustis aestimationibus locentur... » (367).

(2) C. Iust., XI, 71, 3 (400) : « Loca omnia fundive rei publicae propositis prius licenter edictis dehinc, ubi in eum canonis modum contendentium augmenta succreverint, ut extendi ultra aut superari alterius oblatione non possint, perpetuariis conductoribus locentur. »

(3) Nov. Theodos., II, tit. XXIII, c. 1 (443) : « Praedia... quae a quibusdam quolibet modo intra triginta annos... detenta sunt, universis civitatibus assignentur... »

propter ambigua Sozomeni verba (1), vectigalia sola concessa esse putaverunt? quod parum probabile videtur, contrariumque Ammiani verbis scribentis vectigalia civitatibus restituta esse cum fundis (2). Praeterea nihil unquam imperatores concedere solent nisi cum pleno proprietatis iure. Agitur de fundis, non solum de vectigalibus in hac lege Valentiniani possessiones templis per Iulianum redditas ad rem privatam *cum omni iure* redire iubentis (3). Agitur etiam de fundis in glossa quadam quae apud Aggenium Urbicum reperitur (4). In donationibus Constantini, fundos ipsos Ecclesiis concessos esse apparet. Civitates igitur bonis suis a Constantino magna ex parte spoliatas esse credamus.

2° Quid postea? Transierunt haec bona ad ecclesias cum iure suo, nempe perpetuario. At, ait Brunner, Iulianus restitutae civitatum fortunae, ex iure perpetuario, conductionem temporariam fecit ; hoc vero haud ita comprobatum est. Nam aegre reperias conductionem temporariam in lege ex qua argumentum profert (5). Imo iam ab anno 386 in reipublicae fundis emphyteusis apparet (6). Falso igitur Brunner putat solummodo lege anni 400 restitutam esse conduc-

(1) Sozom., V, 5 : « Κωνστάντινος τὰ τῶν ἐκκλησίων διέταττε πράγματα, ἐκ τῶν ἑκάστης πόλεως φόρων τὰ ἀρκοῦντα... »

(2) XXV, 4, 15 : « Vectigalia civitatibus restituta cum fundis absque his, quos velut iure vendidere praeteritae potestates. »

(3) C. Th., V, 14, 3 (364) : « Universa quae ex patrimonio nostro per arbitrium divae memoriae Iuliani in possessionem sunt translata templorum... cum omni iure ad rem privatam redire mandamus. »

(4) *Aggen. Urbic.* (ed. Lachmann), p. 88 : « In Italia multi crescente religione sacratissima christiana lucos profanos sive templorum loca occupaverunt et serunt. »

(5) C. Iust., XI, 59, 6 (383) : « Ut quisque conductor fuerit inventus possessor fundi, qui ex publico vel templorum iure descendit, huic ager iungatur inutilior. »

(6) C. Iust., XI, 62, 7 : « Quicumque ad emphyteusim fundorum patrimonialium vel *rei publicae...* » — Cf. C. Th., V, 13, 33, ad annum 393.

tionem perpetuam; meliusque hanc legem intellexisset, cum alia lege eiusdem anni (1) comparatam, ubi agitur de aedificiis, hortis atque areis aliisque huiusmodi possessionibus quas hactenus ad tempus locatas imperator nunc iuri perpetuario subiici iubet.

3° Neque magis ineunte tantum quinto seculo iterum spoliatas esse civitates opinor; imo, statim post Iuliani mortem amiserunt quicquid recuperavissent (2), quanquam multa vestigia veteris fortunae usque ad imperii occasum superfuerunt et adhuc Valentinianus tertius vetat ne praedia publica civitatum dempto canone distrahantur (3).

Fundos igitur qui ecclesiis ex civitatum fortuna provenerunt, ab initio secundum « *ius in agro vectigali* » tractata esse constat, quod simillimum fuisse iuri perpetuario fundorum fiscalium demonstravimus; non mirum est quod in nostris formulis conductores eadem iura exerceant quae olim conductores fiscales emphyteuticarii exercuissent et fere integrum praediorum possideant dominium. Imo vero, quod Brunner et Löhning latuit, non solum ex praediis civitatum, sed etiam ex imperatoriis fundis ecclesiae donationes acceperunt (4) ita ut ius perpetuarium ad ecclesias transierit et formulae nostrae illius vestigia etiamnunc praebeant.

Formula autem illa (5), ubi de viro illustri, vero praedii domino, agitur, quod iam conieceramus, confirmat, ius scilicet perpetuarium etiam in privatorum fundis esse adhibitum.

(1) C. Th., X, 4, 5.

(2) C. Th., V, 14, 3 (364); X, 1, 8 (364); IV, 2, 7 (375). — C. Iust., XI, 59, 6 (383); XI, 62, 7 (386); XI, 71, 2 (382-384); VII, 38, 2 (387).

(3) C. Iust., XI, 70, 5 et 6. — Nov. Martian., III.

(4) Hoc demonstravimus in capite de Constantini donationibus. — Cf. C. Iust., VII, 37, 3, § 3. — Sub Theodorico, vide *Var.*, IV, 20.

(5) A, 37.

APPENDIX II.

DE IURE QUOD DICITUR παροικικὸν IN NOVELLA VII IUSTINIANI.

In novella septima de rebus ecclesiasticis, in qua Iustinianus prohibet ne praediorum ecclesiasticorum alienationes, aut locationes perpetuae aut emphyteuses fiant, inter alia cavet ne adhibeatur ius quoddam fraudulentum, τὸ καλούμενον παροικικὸν, quo contra legem venditiones verae, quanquam dissimulatae fiebant (1). Quid sit ius illud, non indicat Iustinianus. Sed in latinam interpretationem novellae irrepsit haec a glossatore quodam inserta explanatio : « *Coloniarium ius est veluti si domum valentem centum solidos* (*adde quinque aut decem*) *et praestantem pensionem decem solidorum accipiat quis ab ecclesia et det pro ea solidos centum seu amplius aut certe minus et quasi iam de proprio aggravet se dare singulis annis quasi pensionis nomine solidos tres. Iste ergo appellatur paroecus, sed ipsam domum sub tam parva pensione in perpetuum et ipse et heredes eius possidebant.* » Ita igitur Ecclesiae, pecuniae egentes, praedium ea conditione vendebant ut pecuniam statim haberent et fixa parva pensione ius quoddam proprietatis in fundo retinerent.

Quod autem ius paroecicum non aliud puto esse ac ius illud quod vidimus in fundis imperatoriis *privato iure salvo canone* emptis : imperatores enim, ut ecclesiae, et pecuniam percipiebant et canonem parvum, quasi vestigium quoddam sui iuris, retinebant.

(1) Nov., 7, c. 1, § 1.

INDEX CAPITUM

Prooemium 5

PARS PRIOR.

DE AGRIS PUBLICIS, FISCALIBUS, RATIONISQUE PRIVATAE ET PATRIMONII AB AUGUSTI AETATE USQUE AD DIOCLETIANUM.

CAPUT PRIMUM.

De agrorum publicorum divisione facta inter aerarium populi romani et fiscum Caesaris 7

CAPUT SECUNDUM.

De novo patrimonio eiusque fontibus 15

CAPUT TERTIUM.

Quemadmodum patrimonium transmitteretur 21

CAPUT QUARTUM.

De ratione privata 27

CAPUT QUINTUM.

De diversis rationis privatae et patrimonii praediis 30

CAPUT SEXTUM.

De Augustarum iuvenumque principum fundis 37

CAPUT SEPTIMUM.

Quid ad rem nostram conferant donationes a Constantino Ecclesiis factae 39

CAPUT OCTAVUM.

De praediorum administratione 42

CAPUT NONUM.

De praediorum cultura locationibusque temporaria et perpetua. 51

PARS ALTERA.

DE AGRIS NOSTRIS POST DIOCLETIANUM.

CAPUT PRIMUM.

De novis praediorum incrementis. 69

CAPUT SECUNDUM.

De fundis rei privatae, fiscalibus patrimonialibusque.. 74

CAPUT TERTIUM.

De iure perpetuario vel emphyteutico. 79

CAPUT QUARTUM.

De variis culturae generibus et emphyteusi. 83

CAPUT QUINTUM.

De praediorum administratione. 95

CAPUT SEXTUM.

De praediis regiis apud Cassiodorum et ecclesiasticis apud Gregorium Magnum. 102

APPENDIX PRIMA.

De conductione perpetua in formulis quibusdam Turonensibus Andecavensibusque 107

APPENDIX SECUNDA.

De iure quod dicitur παροικικον in Novella VII[a] Iustiniani.. . . 113

Vidi ac perlegi.

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona, a. d. VII kal. aug. anni MDCCCLXXXVII. Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur :

Academiae Parisiensis Rector,

GRÉARD.

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28

ERRATA

P. 15, n. 1, lege absumsisset.
P. 43, n. 3, lege possessiones.
P. 59, l. 8, lege poterat.
P. 60, l. 21, lege exiguae.
P. 61, l. 24, lege μισθώσεις.
P. 62, l. 4, lege γεωργοί.
P. 64, l. 2, lege adiuvantibusque.
P. 71, l. 7, lege 3° Iam.
P. 77, l. 13, lege agitur.
P. 81, l. 13 lege forsitan.
P. 91, l. 18, lege praesidis.
P. 106, l. 2, lege in fundis.
P. 108, l. 12, lege temporarius.